ATHENAE CHRISTIANAE.

SCRIPSIT

AUGUSTUS MOMMSEN.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXVIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

VIRO CLARISSIMO

CHRISTIANO PETERSENIO

PH. D. ET PROF.

HAMBURGENSI.

Capita enumerantur.

Caput I.

De aedibus sacris Christianorum Atheniensium.

Qui antiquae urbis formam in tabula describere student, quum ea quae veteres scriptores tradiderunt tenere, tum Athenarum quae nunc sunt faciem quamvis mutatam intueri debent. Nam flumina et fontes, valles et montes, plana et declivia loca quae fuerunt, hac quoque aetate manent locique natura integra est et incolumis, nisi quod fragmentis deletorum aedificiorum in loco iacentibus, humo aggesta, pulvere collecto, aliis atque aliis in nova superficie exstructis aedibus solum exaggeratum est. Quae nunc exstant aut effodiuntur parietinae antiquorum aedificiorum, theatrorum, moenium ipsae sibi locum designant describendaeque sunt in tabula novae urbis antequam descriptio antiquae inchoatur. Itaque Stuartus idcirco parens et conditor topographiae Athenarum nominandus est, quod ea, quae viderat, vallium et montium situs, parietinas quae tunc (saeculo XVIII post Chr.) erant, in tabula urbis posuit, quae pro fundamento esset, in quo eae quoque partes antiquae urbis quarum reliquiae non exstarent, coniectura facta quodammodo construerentur.

Id ipsum autem quod dixi si cui propositum fuerit, antiqua aedificia quae perierunt investigare atque ubi locorum fuerint demonstrare, non acquiescendum erit in iis quae dedit Stuartus. Nam is loci naturam expressit, parietinas posuit: omisit novam urbem, quam diligenter descriptam habere opus est. Etenim si cuius aedificii situm de quo dubitatur reperisse tibi videbere, qui poteris demonstrare aliis nisi pernoveris ea quae nunc ibi sunt et significaveris iis nominibus quibus nunc utuntur homines? ut gymnasium Hadriani dices ibi fuisse olim

ubi hodie aedes sit Panagiae Gorgopico sive Metropolis minor, Metroum ibi, ubi S. Hypapantes parietinae esse reperiantur. Pittaces quidem in eo libro quem anno 1835 de urbe antiqua conscripsit, ita disputare solet, ut recentioribus nominibus additis plane atque aperte doceat, in qua parte urbis quae nunc est, apud quem puteum, prope quam ecclesiam id esse velit de quo disserit. Minus multa recentiorum locorum nomina inveniuntur in libris ceterorum topographorum; non quo eam disputandi rationem improbaverint, sed quod non aeque periti rerum aut gnari nominum fuerunt, quae communi in usu sunt. Constat enim antiquam urbem non esse tamquam in aëre exstruendam, immo vero coniecturam applicari oportere ad eas res quae in coniectura non sint positae.

Maximam autem utilitatem habent ecclesiae adscriptis nominibus in tabula urbis designatae. Nam viae et semitae diu sine nominibus fuerunt nec usu recepta sunt quae nuper excogitarunt nomina futurumque fortasse est ut mox alia imponantur*). Puteorum autem et regionum non tantus est numerus ut cum aedibus sacris conferri possint, praesertim si earum quoque, quae ante hos triginta annos fuerunt, ratio habetur; quae habenda est propterea quod in Corpore Inscriptionum Graecarum, in Ephemeridibus Archaeologicis (ed. Athenis inde ab an. 1837), aliisque in libris commemorantur permultae, quas, nunc eversas aut ruinosas, tunc integras fuisse scimus.

Qui titulos Athenis descripserunt et in lucem ediderunt loca ita indicare solent, ut apud ecclesiam aliquam inventos esse dicant ecclesiaeque nomen praescribant verbis tituli a se editi. Itaque omnium qui operam dant inscriptionibus legendis interest ecclesias Christianorum in tabula descriptas habere, praesertim si quid est in titulo, quod ad antiquorum aedificiorum situs definiendos pertineat, sive res commemorantur, quae a certo quodam loco disiunctae esse non potuerunt, sive ipsorum locorum in tituli verbis nomina sunt decretumque esse scribitur, ut tabula legis in foro, in arce, in sacro alicuius templi circuitu, in aliquo gymnasio publice poneretur. Exem-

*) Athenis enim docti homines nunc ista nomina improbant sperantque fore ut mutentur publice.

plo sit tabula marmorea in Bacchi theatro nuper effossa, in qua duo plebiscita scripta sunt, Novae Ephemeridis in u. 180 edita. In utroque plebiscito, lin. 19 et 55, haec leguntur: ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τὸν γραμματέα τὸν κατὰ πρυτανείαν ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐν τῷ τεμένει τοῦ Διονύσου. Si lapis ubi primo fuit ibi semper mansit, is locus in quo repertus est dubitari non potest, quin Bacchi sacer fuerit. In hac quidem re coniectura non opus omnique disceptatione et dubitatione supersedendum est, quod inter omnes constat locum ex quo tabulam illam eruerunt Bacchi fuisse totum. Propter id ipsum idoneum exemplum est ex quo intelligatur, etiamsi de loco non constaret, doctos homines coniectura ex titulo p. 180 facta non aberraturos fuisse. Topographorum igitur maxime interest indicari diligenter ubi inventae sint inscriptiones*).

Quod supra negavi terrae superficiem his saeculis natam aut factam in qua nunc sit urbs et illam quae antiquarum aedium columnarum moenium crepidines olim adaequaverit, eandem esse, id ad hoc quoque genus coniecturae pertinet, si quid concluditur ex tituli alicuius verbis et loco ubi inventus est. Etenim plus tribuendum esse patet titulis iis, qui obruti terra et parietinis effodiuntur, quam fragmentis in aedium quae hac aetate sunt aut fuerunt parietes insertis vel in alia exaggeratae superficiei parte inventis. Nonnihil tamen vel his tribuendum est, quod nec aeque alta crusta obductum ubique est solum et qui aedificabant recentiore tempore materiam colligere ita poterant, ut ex ea crustae parte ubi domum esse vellent antiqua monumenta effoderent. Est igitur ut etiam titulo aliquo non eruto sed in aedificatione recentioris urbis invento locus antiquarum Athenarum indicari aut definiri queat. Magna autem cautione et circumspectione in ea re opus est, quoniam procedente tempore constat domos et ecclesias Christianorum dirutas alias aliis aedibus exstruendis materiam praebuisse atque reliquias antiquitatis magis magisque disiectas per totam urbem et dissipatas esse, ut ex hac superficie non multum disci possit de illis signis, arcubus, templis, porticibus, gymnasiis, theatris quibus olim Athenae ornatae fuerunt.

*) Cf. O. Mülleri verba in Erschii et Gruberi Encycl. I, 6. p. 229.

Ecclesiis Atheniensium ut censeamus nonnihil tribuendum esse, hoc quoque accedit, quod, quum sacris Christianis imbueretur Graecia, factum esse videtur, ut sancti illi homines, quos hodie etiam venerantur, antiquorum deorum numinibus quasi succederent veterumque templorum non quilibet possessores fierent sed ii qui similitudinem quandam et cognationem cum vi et potestate antiquorum deorum haberent. Exemplis si non multis at certis ea res confirmatur. Panagia, virgo et mater, quum similis esse Minervae, S. Georgius, qui serpentem occidisse fertur, Theseo par videretur, Parthenonem aedem Panagiae, Theseum S. Georgii esse voluerunt Christiani.

Deletis autem antiquis templis vel altaribus quaeritur, memoresne pristinarum religionum semper aut saepe fuerint Christiani, quum in desertis areis novas aedes conderent suoque deo dedicarent. Ac Pittaces quidem et alii qui archaeologiam nunc profitentur Athenis, negant cum antiquitatis monumentis simul interire semper memoriam, ut nuper Rangabes*) S. Apostolos, quorum hodie est ecclesia ad septentriones et occasum versus sita ab arce, successisse diis duodecim contendit aramque eorum ibi fuisse vult, ubi ecclesia illa S. Apostolorum nunc reperitur. Eadem fuit Pittacis opinio. Simili ratione S. Nicolaum quasi heredem Neptuno factum esse credunt aliaque non pauca acute et subtiliter disserunt. Istam quidem dubiam et incertam esse rationem quis non videt? nam si quid deletur et tollitur nec manibus iam tangi aut oculis videri potest, memoria quoque augescente oblivione exstinguitur atque res quae esse desierit non solum multi nominis esse desinet sed paulo post sine nomine erit; nomen enim tanquam umbra sequitur rerum veritatem — nisi forte poëtae vel oratores existunt ab oblivione vindicantes eorum quae interierunt splendorem. Illis autem temporibus quibus Athenienses Christi doctrinam amplectebantur, defuerunt, qui possent aut vellent efficere ut homines non plane obmutescerent de antiquis religionibus.

Attamen quum auctoritas Rangabis, viri ingenio et doctrina excellentis, tum res ipsa facit ut aedium sacrarum,

*) Nuove Memorie dell' Instituto p. 348; quod volumen anno 1865 editum est. Cf. E. Curtii Studior. Atticor. partic. II p. 28.

quae hac aetate Athenis sunt aut paucis abhinc annis fuerunt, cum antiquis comparationem non omnino spernendam esse existimem. Nam etsi ecclesiae Atheniensium non admodum veteres esse videntur*), fieri certe potuit ut eae quibus nunc cives utuntur aut usi sunt Turcis dominantibus, pro aliis ecclesiis iisque vetustis substituerentur, quas Athenienses antiquarum religionum nondum obliti videri possunt exstruxisse in templis aut parietinis templorum tunc nec dispersis nec terra obrutis. Itaque erat ut antiquitatis quaedam memoria quasi per manus traderetur et quodammodo servaretur. Rem exemplo illustrabo, quod Atheniensibus probari certo scio. In radicibus arcis inter occasum et meridiem spectantibus aedes sacrae sunt S. Annae, Hypapantes, Evangelistriae. Ibi templum matris deorum quod Metroum vocabant olim fuisse videtur et aliud quoque aedificium, Eleusinium, cuius quidem situs incertior est quam Metroi. Iam fac tres illas ecclesias recentiore memoria aedificatas esse, in eadem autem urbis parte propter arcem alias fuisse vetustiores et ipsas S. Annae et Hypapantes et Evangelistriae sacras. Has vetustiores nihil obstat quominus ad antiquas matris deorum aut Cereris religiones pertinere dicamus, ut iis tanquam vita propagata esse et memoria, obscurata quidem sed non plane exstincta, ad nostram aetatem pervenisse videatur.

Incertum autem id genus coniiciendi esse vel inde patet quod vetustiores illas ecclesias, quas opinioni doctorum hominum concessimus, non constat ita refectas esse ut quibus pristinas aedes dedicassent ii qui conderent, iisdem sanctis mulieribus recentiores sedes posteri dedicarent. Hac quidem aetate Athenis quam exstruxerunt Metropolim maiorem Evangelistriae dedicarunt. Quae aedes antequam aedificaretur, eadem in area S. Nicolai ecclesia fuit. Christiani Athenienses igitur eodem in loco non idem semper numen colunt.

Verumtamen, ut oratio redeat eo unde profecta est, non ab omni parte falsa esse ista Pittacis et Rangabis videtur doctrina nec detrimento erit topographiae, dummodo prudenter et pudenter rebus adhibeatur atque omnia ex omnibus

*) Surmeles Κατάστασ. Ἀθηνῶν p. 26 sq., S. Nicodemi aedem excipit. Ceteras recentiore tempore aedificatas esse existimat.

coniiciendi licentia vitetur, qua Pittaces in antiquae urbis locis definiendis versatus est.

Tres igitur causas video cur ecclesiis Christianorum et nominandis et in tabula describendis operam dare oporteat antiquarios; primum quod qui noverit situs aedium sacrarum quae Turcis regnantibus Athenis fuerunt, urbem (veterem, quae fuit ante an. 1821) noverit atque habebit quo uti possit ad loca urbis designanda de quibus disputat; deinde quod titulorum editores loca definire solent aedium maxime sacrarum nominibus, quorum nullus est usus, si ignoratur qui dicatur situs; denique quod non plane negligenda est ista opinio Atheniensium similitudines antiquarum et recentium aedium consectantium.

Ecclesiae autem Atheniensium, quarum nomina vel in Corpore Inscriptionum Gr. aliunde accepta afferuntur vel in scriptis Pittacis, qui ipse videbat aut viderat, commemorantur, pleraeque nunc frustra in urbe quaeruntur. Nam posteaquam Turcae annis 1821 sqq. Athenas vastarunt, dirutae tunc ecclesiae non solum non omnes renovatae sunt, sed numerus aedium aedicularumque quum nimis magnus et parum utilis esse videretur, decretum factum est ante an. 1840, ut non plus duodecim ecclesiae essent Athenis, sacra publice facerent sacerdotes tres et viginti; plus septuaginta autem ut demoliendae locarentur eaque materia in eam aream comportaretur ubi metropolim maiorem tunc condituri erant*). — Itaque pleraeque quae fuerunt ecclesiae deletae et sublatae sunt, aliarum parietinae exstant et visuntur, aliae integrae manent aut renovatae et pulchrius exornatae. Quare si quis in tractandis antiquorum Atheniensium inscriptionibus haeret et ambigit ubi sint eae aedes propter quas repertae esse dicantur, vetustiorum maxime volumina, descriptiones, adumbrationes, tabulae sunt evolvendae apparatuque non exiguo opus erit ad cognoscenda aedium nomina et situs, quoniam nemo edidit tabulam urbis, qua omnes ecclesias complecteretur.

Nos igitur quam plurima potuimus nomina ecclesiarum collegimus atque operam dedimus ut situs earum cognoscere-

*) Aldenhoven Itinerar. p. 14.

mus. Quarum et nomina et situs constare putabamus, eas in tabula expressimus.

In tabula nostra alias quoque res descriptas invenies ut puteos, templa Turcarum. Etiam viarum et semitarum et platearum addidimus nomina, quorum Athenis quidem non multum esse usum fatemur, cf. p. 2; nostris tamen hominibus commoda et idonea esse videbuntur ad loca significanda.

Neapolim omittimus, ut non quae nunc est urbs sub aspectum subiiciatur, sed quae fuit fere an. 1820, hoc tempore autem urbs vetus dicenda est.

Caput II.

Apparatus.

1. P. Coronellii tabula.

Folium magnum, in quo urbem ita adumbratam habes ut de loco superiore in domos despicere videare. Qui fecit P. Coronellius eandem adumbrandi rationem secutus est quam Anonymus Fanellianus et is qui tabulam fecit ab Labordio in Additam. editam*); nam hi quoque despectum magis quam adspectum Athenarum posuerunt. Index folii Coronelliani partim in margine superiore legitur: Antica e moderna città d'Atene, dedicata dal P. Coronelli, partim in margine inferiore: all' illustriss. et eccellentiss. sig. Cristino Martinelli, patritio Veneto. Locis addita sunt nomina aliis, aliis numeri 1—39, quos in separata folii parte collectos explicavit Coronellius; supra haec scripsit: Tavola delle cose più osservate in questo disegno Iconografico d'Atene, preso da Veneti, in 8 giorni d'assedio, li 28 settembre del 1687. — P. Coronellius qui fecit anno 1687 dubitari potest fueritne Athenis praetore Mauroceno, an domi sua excogitaverit, ut Guilletus. Ego id folium non vidissem, nisi Conzius professor Halensis utendum mihi dedisset. Vir optimus ultra pollicitus se urbem ab Coronellio adumbratam si vellem mihi commodaturum esse et

*) Cf. Fanellii Athen. Attic. p. 313; Labordii Athen. II p. 150 Not. 2.

curas meas adiuvit et suo me obstrinxit officio. Quamquam pleraque nomina ad situs antiquorum locorum illustrandos pertinent quae cognoscere nostra non intererat neque potest ne eorum quidem interesse qui antiquae urbis tabulam ex coniectura conficere student; nam P. Coronellius quae imposuit nomina non ipse excogitasse sed primis illis topographis, cf. p. 13, qui tunc erant, debere existimandus est. Sunt vero etiam, quae ad Athenas Christianas spectent, ut nomen in aedificio quodam adscriptum S. Dionisio, e Palazzo del Vesco, et n. 36 Agias Pharancos, Capella fabbricata dagli Acciaioli, qui numerus supra turrim est prope Ilissum adumbratam.

2. Fr. Fanellii liber.

Fr. Fanelli, Atene Attica. Venezia MDCCVII. 4. Post paginas 308, 313, 317 insertae sunt tabulae tres, in quibus arx aut urbs descripta aut adumbrata conspicitur, qualem an. 1687 viderunt ii qui cum Mauroceno tunc profecti sunt ad Athenas. — Verneda centurio Venetus arcem quum lineis descripsit tum bis adumbravit, Fanel. p. 308. — Idem iussu Comitis S. Felicis formam urbis Athenarum fecit, quae est in folio apud Fanel. p. 317 inserto. Omisso Vernedae nomine inscribitur: Pianta d' Attene con tutte le sue Antichità più rimarcabili et esteriori presa dal Co. di S. Felice. Cf. Labordii Athen. II p. 180 et huius cap. § 10. — Denique is qui, omisso indice, aspectum Athenarum, Fanel. p. 313, pinxit, in eodem numero fuerit, qui an. 1687 urbem expugnarunt. Hic illic nomina homo subscripsit ut S. Saluatore, S. Anastasio, Tempio di Gioue Olimpio al. Nominabimus Anonymum Fanellianum.

3. Stuarti tabula.

Stuart and Revett, Antiquities of Athens. London 1762 sqq. In volumine tertio post pag. VI tabula est in qua quas anno 1751 Stuartus Athenis esse viderat antiquorum monumentorum parietinas accurate expresserunt editores. Totam urbem quae in Stuarti (tunc mortui) schedis erat in lucem edere nolebant. Nonnullae tamen in ea tabula reperiuntur ecclesiae, ut S. Petri (Stavromenos Petros).

4. M. Leakei liber.

M. Leake, Topography of Athens. London MDCCCXXI. Viginti post annos. an. 1841, Leakei Topographia iterum edita est. Philologis Germaniae neutra editione opus est, quod translatam utramque ediderunt emendarunt auxerunt nostri populares Rienäckerus, Baiterus et Sauppius. Indicem ille imposuit: Leake's Topographie von Athen. Aus dem Englischen übersetzt und mit Anmerkungen von M. H. E. Meier und K. O. Müller herausgegeben von A. Rienäcker. Halle 1829. In tabula II aliquot ecclesiarum nomina sunt ut Panaghia Vlastiki. Nunc ea aede deleta et eversa homines qui ibi habitant ne nominis quidem memores sunt. Leakeus autem eo tempore operam dabat topographiae quo bello nondum suscepto et Panagiae illius et aliae aedes permultae incolumes erant, quae nullae nunc et partim in oblivionem adductae sunt. Altera editio a Turicensibus conversa ita inscribitur: Topographie Athens von W. Martin Leake. Zweite Ausgabe. Uebersetzt von I. G. Baiter und H. Sauppe. Zürich 1844. Quae in prioris editionis tabula II nomina sunt ecclesiarum non omnia in altera reperiuntur.

5. E. Schauberti tabula.

Tabula Ed. Schauberti et Cleanthis, a multis inspecta neque vero qua est magnitudine in lucem edita a quoquam, publice asservatur Athenis in tabulario rerum domesticarum. Post excussum Turcarum iugum quum vix una domus ab hostibus non labefactata et tanta strages edita esset ut non posset equitari aut iri viis parietinarum multitudine obstructis et obrutis, cf. G. Finlayi Hist. Gr. p. 15, atque de urbe reficienda et renovanda multum deliberarent cives, Schauberto architecto mandatum est ut urbem quae tunc esset in tabula describeret et quae emendanda amplificanda novanda viderentur in tabula eadem significaret. Eius operis socium Cleanthem nescio quem esse voluerunt. Schaubertus quae proposuit Ministris Regiis Armanspergio Maurero Heideckio probavit quorum nomina die 29 m. Iunii ut agunt Graeci sive ut nos die 11 m. Iulii an. 1833 scripta leguntur in margine mappae ingentis, qua ad novam urbis formam designandam

ille usus est. Ecclesiae aliaeque aedes (Τcαμία i. e. templa Turcarum) quae tunc erant additis nominibus ibi descriptae sunt. Ego verno tempore anni 1866 quum Athenis essem primo nomina ecclesiarum enotavi; ubi literae usu et vetustate exesae erant tantum scripsi quantum legeram. Postea eam mappae partem in qua urbs vetus est charta pellucida expressi additis in ea charta nominibus Schaubertianis.

6. Lithographia Monacensis.

Non multo, ut videtur, post annum 1833 Lithographus Monacensis tabulam Schauberti ad minorem modum redactam edidit. Inscribitur: Σχέδιον τῆς νέας πόλεως τῶν Ἀθηνῶν ἐπικυρωμένον ἀπὸ τὴν ἑλληνικὴν κυβέρνησιν. In Stein graviert von Jos. Pötzenhammer in München. München bei George Jaquet & Athen bei B. Ritz. Eam tabellam a G. Finlayo humanissime commodatam Athenis an. 1866 descripsi. — Lithographus Monacensis non solum non omnia quae Schaubertus signa et nomina habet, sed etiam magna cum negligentia in suo opere versatus est, praecipue in numeris scribendis; etenim in indice complexus nomina non apposuit signis. Vias aut semitas veteris urbis in tabella definivit nullas.

7. Tabula an. 1834 facta.

Tabulam urbis an. 1834 factam, Schaubertiana minorem, et ipsam Athenis in tabulario rerum domesticarum apud Ministrum Regium asservatam vidi et pellucida charta expressi. Postea Fr. Schmidtius, hortorum Regiorum praefectus, eius tabulae exemplum linteum mihi utendum dedit permisitque ut in patriam rediens auferrem. Fecerunt hanc tabulam propterea quod Schaubertiana interim displicuerat et improbata erat, quamvis sollemniter probata paullo ante. Hic illic appellatio rebus subiecta ut Likabettos, Nimphenberg; haec germanice, graece alia et ea quidem quae ad partes urbis tunc nondum conditas pertinent ut ΠΛΑΤ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ (quae platea non facta esse unquam aut ulla fuisse Athenis videtur eo nomine insignita; locus non procul est a Platea Concordiae in Neapoli), ΟΔ ΣΤΑΔΙΟΥ al. Quamquam ecclesiae, viae et semitae urbis, parietinae, moenia a Turcis exstructa aliaeque res

sollerter descriptae sunt, pauca tamen insunt quae post curas Schauberti cognoscere operae pretium sit, praesertim quia is qui fecit nomina aedibus adscribere noluit. Contulimus tamen sicubi signo in Schauberti tabula eraso minus constabat qui situs aedificii alicuius fuisset.

8. Lithographia (Atheniensis).

In ecclesiarum signis numeri adscripti sunt, nomina desiderantur. Quo anno aut ubi facta sit tabula non dicitur neque liquet quod nomen fuerit ei qui fecerit. Forsitan Pittaces anno 1835 aut post eum annum faciendam curaverit idque alicui uni de familiaribus mandaverit, qui nescio an fuisse Iatrides videri possit. Quamvis tabula anonymi nec pars sit eius libri quem Pittaces Antiquas Athenas inscripsit editum an. 1835, nec pro additamento Ephemeridum Archaeologicarum haberi queat, quas anno 1837 idem curare coepit, ad Pittacem tamen aliquatenus pertinere, ex signis et indiciis quibusdam intelligitur. Dextra, in margine superiore legitur: plan d'Athènes en 1820. Ad laevam, in inferiore margine: lithographie Royale. Regis Graeciae iussu institutam Athenis officinam dici existimo. Nam in Ephemeridum Archaeol. Lithographia 4 haec subscribuntur: ἐκ τῆς βασιλικῆς λιθογραφίας, qui fasciculus, primus, in lucem prodiit anno 1837. Alterius fasciculi eodem anno editi lithographiis tribus, 9. 10. 11, subscribuntur haec: Λιθογρ. ὑπ' Ἀ. Φόρστερ. — Ἀντίγραφον ἐκ τοῦ πρωτοτύπου παρ' Ἀ. Ἰατρίδου. — Τυπωθ. ὑπὸ Σταουδενμαΐερ. — Ab homine Graeco factam esse docet itacismus nominis KYDATHINEA et commistio confusioque latini et gallici sermonis, ut latine Ceramicus, gallice Erechthée, T. d. Thésée al., promiscue et absurde P. d'Hadrian scribitur. Eum autem qui fecerit placita Pittacis fuisse amplexum inde patet quod nomen Kydathinea in regione Placa, Champs Elysées in vicinia aedium 146 (Theodori) et 147 (Georgii) posuit; aedes S. Theodori et S. Georgii in n. 179 et 152 nostrae tabulae reperies. Cydathenaeorum autem pagum, cf. n. 59, Πλάκα, et Campos Elysios*) in eis fere locis quae

*) Campos Elysios, a Pittace in regione „Calamioti“ collocatos,

dixi fuisse putabat Pittaces. Item Ceramici situs cum Pittacis opinione congruit. Fortasse hoc quoque licet afferre, quod Lithographi Regii tabula ita mihi vendita est a bibliopola Tepharce ut in Antiquarum Athenarum*) exemplum inserta — institore, ut opinor, inscio — traderetur. Quum emissem et mirari coepissem tabulam urbis insertam, quam non memineram in aliis exemplis videre, G. Finlayum conveni ut librum cum tabula urbis emptum monstrarem. Conquestus igitur quod index deesset quo quid sibi vellent numeri facile disceretur, quaesivi a viro earum rerum satis gnaro, num vidisset antea eam tabulam. Extemplo venerabilis ille amicus meus suum eiusdem libri exemplum ex forulis deprompsit et eandem urbis tabulam item sine indice insertam post finem libri Pittacei ostendit subridens negavitque se quidquam compertum habere de eo qui fecisset; indicem nominum ne se quidem unquam habuisse aut vidisse**).

Quum in tabula anonymi Atheniensis plures quam in ulla alia tabula ecclesias significatas esse atque in eo qui fecisset locorum peritiam fuisse vidissemus, operae pretium fore putavimus tanquam codicem lectu difficilem explicare nominaque ex Schauberti aliorumque descriptionibus conquirere. Itaque tractibus viarum et semitarum comparatis et aedium propinquitatibus observatis, Lithographi anonymi plerisque signis invenimus nomina. Eas curas inchoatas Athenis an. 1866, absolutas domi Georgio Kohlmanno, lithographo, patre Germano Athenis nato, misimus rogantes ut si quid falsum mancum incertum esset emendaret suppleret confirmaret. Hoc modo explicatam et comprobatam anonymi tabulam, nostram fecimus atque huic libro subiecimus. Nostrae igitur tabulae fundamentum debemus anonymo.

Lithographus extra moenia quidem, sed prope a regione „Calamioti“ significavit; cf. n. 156 et 157, Aedes ignot.

*) L'ancienne Athènes par K. S. Pittakys. 1835.

**) Carolus Halmius, peritissimus ille bibliothecae Monacensis antistes, per literas rogatus, librorum id genus omne posteaquam mea gratia perquisivit et pervestigavit, Anonymi tabulam negavit Monaci esse nedum indicem.

9. Tabellae Kohlmannianae.

Aldenhovenus suam tabulam urbis, non magnam illam quidem at factam accurate, Caroli Kohlmanni lithographi Atheniensis, patris Georgi, diligentiae et peritiae debuit*). Inscribitur: F. Aldenhoven, Plan d'Athènes 1837. Cf. F. Aldenhoveni Itinerarii p. 13 Not. Ecclesiae multae significantur, nominibus plerumque omissis. Fuit tamen ut in usum meum conferrem. Qui P. Forchhammeri popularis nostri Topographiam emerunt eam tabulam viderunt; nam antiquae urbi a Forchhammero descriptae Aldenhoveniana vel potius Kohlmanniana subest tabula. Cf. Studiorum Kieliensium p. 372**).

Anno 1843 Carolus Kohlmannus tabellam fecit in qua urbem quae tunc erat descripsit. Chartam vidi Athenis an. 1866 enotavique pauca. Similis est tabellae Aldenhovenianae.

Non multa exempla (fere 250) publici iuris facta esse, a filio Georgio accepi, inscripto hoc indice: Plan d'Athènes 1843, gravé par C. Kohlmann.

10. Labordii liber.

Perutiles curae Comitis de Laborde inscribuntur: Athènes au XV[me], XVI[me], XVII[me] siècles. Paris 1854. I. Renouard. Duo sunt tomi; additus est fasciculus quo vetustiorum potissimum continentur tabulae urbis Athenarum. Eo in numero nobis Athenarum Christianarum studiosis minus utiles erant Capucinorum***) et Guilleti. Qui res antiquas quaerunt non plane negligere debent primos topographos, quamvis taedeat inanium nominum large per totam chartam sparsorum et disseminatorum et miri illius acuminis, quo res obscurissimas transigunt. Malas poëtas diceres, sed sibi credi voluerunt. Nostra plus intererat Sponii descriptionem cognoscere et prospectum urbis („Prospeto di Athene") a Labordio primum

*) Scalptorem tunc adhibitum esse A. Forsterum, Georgius Kohlmannus nunciat.

**) L. l. scriptor an. 1838 (imo 1837) ab Altenhovenio (imo Aldenhovenio) ait tabulam editam esse.

***) Index tamen, a Labordio I p. 78 sqq. primum editus, hic illic utilis fuit. Inscribitur: Explication de la nouvelle Athènes. Scriptorem vocabimus: Anonymum Labordianum.

editum*). In Labordii libro etiam Wheleri tabulae urbis sunt, quibus multo utiliora erant quae Sponius habet.

Labordius etsi plerasque vetustiores urbis descriptiones complexus est, non ubique in iis quae aut dedit aut omisit acquiescendum esse video. Etenim nec plane inutilis est P. Coronellii charta aut adumbratio urbis in libri Fanelliani p. 312 sq. inserta, utraque ab Labordio omissa, et Comitis S. Felicis [et Vernedae] tabulam Fanellius p. 317 ita dedit ut facile legas non imminutam sed tantam ut videtur quantam esse voluit is qui fecit; Labordius contraxit mensuras ut non ubique sine detrimento tabella substituatur pro tabula**). Cf. Not. in n. 173, Ἅγ. Ἰωάννης Κολώνα.

11. Calergis tabula.

Homo Graecus qui fecit oblitus est indicare urbem a se descriptam Athenas esse; suum nomen bis posuit expressit typis et manu scripsit***); omisit annum, scilicet senescere et obsolescere noluit praeclarum istud artis opus.

Pro indice igitur haec in inferiore margine leguntur: Gravé chez Erhard, R. Bonaparte 42. Exécuté par Emmanuel Kalergis, élève de St.-Cyr et de l'école impériale d'état-major de France.' Paris-Imp. Lemercier, R. de Seine 57. Annus fere 1860 fuerit†).

Describuntur non eae solum Athenarum partes quae Turcis dominantibus fuerunt, sed etiam Neapolis. Species autem urbis parva est, nam quae circa sunt non pauca sua in charta posuit Calerges, quin etiam posuit quae ne sunt quidem. Quod in litera ν indicavit aedificium „νέον θέατρον théatre“ id nec est nec fuit unquam. Graeculus quod tunc aedificaturi

*) Labordius a Verneda, homine Veneto, cf. p. 8, factum esse credit. Reperit Venetiis in tabulario. Vide quae Labordius subscripsit in margine et tomi II p. 150.

**) Quod Vernedae tabulam a Labordio primum editam esse dicit Ludovicus Rossius, Archaeologicor. II p. 265, falsum est.

***) Conzius in Philologi t. XXV p. 290 annum esse scribit 1863.

†) Tertium Calergis nomen in ipsa tabula legitur, prope Ilissum: θέσις ὅπορ ἠχμαλωτίσθησαν κατὰ τὸ ἔτος 1827 ὁ στρατηγὸς Καλέργης καὶ ὁ Δράκος. Captus ibi — non sine gloria, ut spero — pater hominis aut patruus.

erant non aedificaverant in tabula posuit quasi perfectum et absolutum esset, suam spem ratus post paullo veram fore. Non ita placuit diis immortalibus.

12. Schedae nostrae.

Verno tempore anni 1866 vias et semitas Athenarum descripsi ita ut in una charta non multa comprehenderem sed certam quandam urbis partem vel viam perpetuam vel locum memorabilem secernerem. Tantum autem abfuit ut quae opus essent absolverem omnia ut redux in patriam Germanos quosdam Athenis degentes crebris literis appellarem, de rebusque aut dubiis aut praetermissis a me, ut de puteorum nominibus, interrogarem.

13. Ecclesiae ab Couchardo adumbratae.

Delectu ecclesiarum Byzantinarum ab Couchardo architecto edito aliquot Atheniensium aedes sacrae continentur. Index est: Choix d'églises Byzantines en Grèce. Paris 1842. Lenoir.

14. Alia adiumenta.

Ad cognoscendos situs ecclesiarum libros adhibui potissimum epigraphicos, in quo numero utilissimae fuerunt Antiquae Athenae Pittacis. Inscribitur is liber: l'ancienne Athènes par Mr. K. S. Pittakys Athénien. Athènes 1835.

Caput III.

Radices arcis ad urbem vergentes.

N. 1.

Ἀγ. Νικόλαος.

Sita est aedes sub Agraulio.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

19 ἅγ. Νικόλαος Lithogr. Monacensis.

1 Lithogr. Atheniensis.

Quam Pittaces Ant. Athen. p. 150 ecclesiam prope Agrauli specum sitam dicit, nomine non addito, videtur Nicolai 1 esse.

N. 2.

῾Αγ. Cωτήρ.

Est inter ecclesias Nicolai 1 et Nicolai 3, propter viam, quae nunc λεωφόρος τῆς ἀκροπόλεως, via arcis, dicitur.

ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.

44 (imo 41) ἅγ. Cωτήρ. Lithogr. Monacensis.

Lithographus Atheniensis signum posuit, numerum (fortasse 2) omisit.

N. 3.

῾Αγ. Νικόλαος.

Sita propter viam eandem, quo ab extrema via Aeoli escendens sitam prope vides ecclesiam Servatoris, τοῦ Cωτῆρος 2; ire autem pergens via arcis, ut a dextra sit arx, aediculam conspicis S. Nicolai. Quae quum perexigua sit et videri possit alia atque ea quae in Schauberti et aliorum tabulis, non ita parvo signo, denotatur, haud scio an compensandi causa exstructa sit post deletam aedem vetustiorem Nicolai 3.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

39 ἅγ. Νικόλαος Lithogr. Monacensis.

3 Lithogr. Atheniensis.

N. 4.

῾Αγ. Cυμεών.

Sita est supra viam arcis. Infra, a laeva aedicula est Nicolai 3, a dextra turris ecclesiae varie ornata conspicitur quae Anargyris 5 dedicata est.

ΑΓ ΣΥΜΕΩΝ Schaubert.

27 ἅγ. Cυμεών Lithogr. Monacensis.

9 Lithogr. Atheniensis.

N. 5.

῾Αγ. ᾿Ανάργυροι.

Aedes turricula insignis quam ornamentis quibusdam inepte decorarunt, ex via arcis conspicitur. Paullo inferius sita est ecclesia Ioannis Mangutis 6.

Λ . \ . . . Schaubert. Literae vetustate excsae. Fuit ΑΓ-ΑΝΑΡΓΥΡΟΙ vel ΑΓ ΑΝΑΡΓΥΡΟΣ.

28 ἅγ. Ἀνάργυροι Lithogr. Monacensis.

10 Lithogr. Atheniensis.

Inventus ibi est titulus C. I. n. 157 p. 250 = Ephemer. n. 3266 p. 1705, in quo antiqui Athenienses pecunias enumerarunt quae ex dermatico, lin. 5 ἐκ τοῦ δερματικοῦ, redierant; lapis nunc asservatur in turri ventorum. Eiusdem lapidis fragmenta alia, Ephemer. n. 3451 p. 1804 et Rangab. Antiq. n. 842 p. 501, quum in arce, ubi etiamnunc asservantur, reperta sint, dubitari non potest, quin integra tabula primo non in radicibus arcis sed in arce posita fuerit.

Aedes Anargyrorum 5, cuius haud crebra est mentio, etiam in Ephemer. n. 3084 p. 1487 commemoratur.

N. 6.

Ἅγ. Ἰωάννης ὁ Πρόδρομος Μαγκούτης.

Ex via arcis parietinae infra sitae conspiciuntur ut propius surgat Anargyrorum 5 ecclesia intuenti ad dextram.

ΑΓ ΙΩΑΝΝΗΣ ΠΡΟΔΡΟΜΟΣ Ν. . ΚΟΥΤΑΣ Schaubert. Legendum ΜΑΓΚΟΥΤΑΣ.

30 ἅγ. Ἰωάννης ὁ πρόδρομος Μαγκούτας Lithogr. Monacensis.

11 Lithogr. Atheniensis.

Cognomen nunc Manguti pronunciatur ut nominativus Μαγκούτης scribendus sit. G. Kohlmannus literis latinis: Ioánnis Pródromos Mangútis. Depravatum *) inde Maguli cognomen, quod legitur C. I. n. 336 p. 414 et n. 675 p. 505, prior Corporis Inscriptionum Graecarum titulus docet. Nam hunc in aede Ioannis Mangutis esse et Pittaces Ant. Athen. p. 134 ait et ego anno 1866 vidi. Verba sunt: αὐτοκράτορα Ἁδριανὸν σεβαστὸν Ὀλύμπιον Θάσιοι κ. τ. λ.

Ex Ephemeridibus Archaeologicis affero n. 1891 p. 1013

---

*) Quem titulum se vidisse in ecclesia D. Ioannis τοῦ Μοσκάτου Fourmontus ait, C. I. n. 783 p. 515, non in urbe fuisse puto. Nam alius auctor, Chandlerus ut opinor, „Athenis in vinea" se invenisse scribit, quem locum pro suburbano habere licebit. Urbanam quidem isto cognomine nullam reperio aedem. Si fuit, extra urbem fuit, nisi forte Μοσκάτου ex Μαγκούτη depravatum credere et negligere vinetum libet, in quo dicitur inventa esse.

et n. 3261 sqq. p. 1698 sqq. Fortasse tertium titulum addere licet n. 2247 p. 1165.

Pittaces in area Ioannis Mangutis olim Apollinis Sminthii fanum fuisse contendit, Ant. Athen. p. 133. In Ephemer. p. 1023, cf. p. 1166 propinquum fuisse vult Serapidis templum.

N. 7.

Εὐαγγελίστρια.

Aedicula muro inclusa, quo domus quaedam privata munitur, prope ecclesiam Ioannis Mangutis 6 sita est.

Anno 1866 aedem perexiguam Evangelistriae ibi vidi ubi dixi, et in diariis notavi. Quod G. Kohlmannus Demetrii esse scribit miror.

N. 8.

Παναγία.

Ab aede Nicolai 3 prope abfuit ita ut interesset via arcis.
ΠΑΝΑΓΙΑ Schaubert.
40 Παναγία Lithogr. Monacensis.
4 Lithogr. Atheniensis.

Quum Panagiae insignitae cognominibus esse soleant, ad aedem 8 forsitan illud pertineat cognomen quod legitur in Ephemerid. n. 96 p. 139: εἰς τὴν ἐν Ἀθήναις ἐκκλησίαν τῆς Παναγίας Κυμηνιάτη. Nam ut aedes 8 sine cognomine, ita cognomen l. l. sine aede*). Rem tamen dubiam esse non nego.

*) Non eodem iure aliud cognomen afferri potest, quod Fourmontus tradidit. Ἐν τῇ Παναγίᾳ τοῦ λόπεξ is titulum C. I. n. 746 p. 510 se reperisse scribit. Etenim quum non addat in urbe se vidisse, Panagia Cymeniatae autem in urbe fuisse tradatur, hoc cognomen illo probabilius est. — Quae autem P. Coronellius in suae tabulae indice scripsit: 12. Grotta d' Apollo Panagia, detta Macrae Petrae, aliena sunt propterea quod specus non est aut fuit unquam sub via arcis ubi sedem habuit Panagia 8. Etsi iste suum numerum 12 in arcis radicibus ad urbem vergentibus posuit, non sequitur, ut situm Panagiae 8 significaverit. Imo vero magnam illam speluncam, quae sub arce fere in n. 27 nostrae tabulae cernitur, Apollinis et Panagiae nominibus videtur decorasse; quam speluncam Creusae Sponius quoque vocavit. Iste autem alter Guilletus aut peior Guilleto indignus cui multum operae detur.

N. 9.

Παναγία Χρυσοκαστριώτισσα.

Sita est propter viam Thasybuli, non procul ab aede Ioannis Mangutis 6.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΚΑΣΤΡΙΩΤΙΣΣΑ Schaubert.

Lithographi omiserunt.

Pittaces Ant. Athen. p. 133 et 139 S. Chrysocastriotissae ecclesiam commemoravit.

Hoc tempore exaedificatam esse cognovi ex G. Kohlmanni epistola. Itaque lithographi omisisse idcirco videntur, quod quo tempore tabulas suas conficiebant ruinosa erat.

S. Theodori ecclesiam non multum abfuisse a Panagia Castriotissa iisque Christianorum aedibus quarum situ prytaneum recentius definiri Pittaces putabat, ex iis intelligitur, quae l. l. dixit. Descriptam autem in tabulis non reperimus nec nos audemus ponere*).

N. 10.

Ἅγ. Ἰωάννης.

Situs aedis is fuit ut supra esset via arcis, infra via Thrasybuli, quarum utraque ab oriente in occasum porrigitur; ad ortum solis Panagia 8 vicina, ad occasum Stauromenus 11.

ΑΓ ΙΩΑΝΝΗΣ Schaubertus.

*) Dubitari potest an ibi repertus sit titulus, saeculo IV ut videtur post Chr. scriptus, in quo Theodori Achaeorum ducis laudes insunt. Edidit Boeckhius in C. I. n. 373 p. 437, hoc praescripto indice: „Athenis in basi rotunda fuit, quae sacram mensam in ecclesia D. Theodori prope monasterium Capucinorum sustinebat“, quae Chandleri verba sunt, ut opinor. Mirere quidem prope monasterium Capucinorum, hoc est prope monumentum Lysicratis esse dici ecclesiam Panagiae 9 propinquam, quum magna pars viae tripodum aut etiam amplius spatium interfuerit. Sed opponi potest, si cum nostrarum urbium amplitudine comparetur id spatium quod inter monasterium et prytaneum Pittaceum interfuerit, non ita magnum videri, nec mirum esse, si Chandlerus a monasterio, cuius situm et ipse noverat et notum omnibus putabat, profectus, aliorum dimetiatur aedificiorum propinquitates. — Theodori 81 aedicula etiam remotior paullo et si quid signis tribuendum perquam exigua et obscura, ut vix credas fuisse idoneam quae sacram illam mensam in basi rotunda positam caperet.

Lithographus uterque omisit, nec posuit is qui anno 1834 tabulam confecit.

Nescio an ecclesiam Ioannis 10 Pittaces Ant. Athen. p. 139 dixerit. Is l. l. in arcis radicibus fundum Agrauli sacrum fuisse scribit; cuius partem extremam definiri et terminari S. Ioannis aede; ultra fuisse prytaneum ad orientem versus situm.

N. 11.

Σταυρομένος.

Media fere fuit inter ecclesias Nicolai 1 et Nicolai 12.

ΣΤΑΥΡΟΜΕΝΟΣ Schaubert.

64 Σταυρόμενος Lithogr. Monacensis. Accentu rectius posito Kohlmannus litteris latinis scribit: Stavroménos.

5 Lithogr. Atheniensis.

Cruci affixum, cui aedem dedicarunt, Christum (non Petrum) esse constat. Vide cap. XX, Σταυρομένος.

N. 12.

῾Αγ. Νικόλαος.

Sita aedes fuit inter ecclesiam Stauromeni 11 et Turcarum templum Kutschuk Djami 94.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

Lithographi omiserunt.

N. 13.

῾Αγ. Ἄννα.

Parietinae aedis Annae conspiciuntur a postico Hypapantes 16, paulo inferius sitae ad orientem versus.

Omisit Schaubertus.

66 ῾Αγ. Ἄννα Lithogr. Monacensis.

6 Lithogr. Athen. Aut numero 6 aut 7 Annae ecclesiam in tabula lithographi Atheniensis significari existimandum est. Situs S. Annae in tabula Monacensi definitus magis ad n. 6 quam ad n. 7 convenit et numerus 6 etiam G. Kohlmanno probatur. Sequitur ut Lithographi Atheniensis numerus 7 explicari nequeat, quod idem de n. 93 dicendum est*).

---

*) Quum aedes S. Annae monasterii nescio cuius appendicula fuerit, cf. Ephemerid. p. 1082, in propinquo alia etiam esse poterant aedificia,

Pittaces in Ant. Athen. p. 473 apud aedem Annae se reperisse ait basim Apollini Delio dedicatam *). Templum tamen Apollinis et Dianae, quod scriptor Antiquarum Athenarum ibi fuisse credit, idem in Ephem. p. 1082 sq. non Delium sed Pythium nominat; Pythium autem a Philostrato in V. Sophistar. 2, 1 § 5 commemoratum distinguendum esse ab eo docet cuius Thucydides II, 15 mentionem faciat; illud in arcis radicibus ad septemtriones vergentibus, hoc ad meridiem situm fuisse; illud etiam Dianae Ilithyiae dedicasse Athenienses; Ilithyiae autem S. Annam puerperarum patronam successisse. Τὸ Πύθιον τοῦτο, inquit l. l., τὸ πρὸς τὸ βόρειον μέρος τῆς Ἀκροπόλεως ἦν ἔνθα νῦν ὑπάρχει ἡ Ἐκκλησία τῆς Ἁγίας Ἄννης. Τὴν Ἁγίαν ταύτην σεβόμεθα, καὶ εἰς τὴν εὐκολίαν τῶν τοκετῶν ἐπικαλοῦνται αἱ τίκτουσαι, ὡς ἐπικαλοῦντο τὸ πάλαι περὶ τῶν τοκετῶν τὴν Ἀρτέμιδα Εἰλειθείαν, ἧς τὸ ἄγαλμα ἵστατο ἐν τῷ ναῷ τοῦ Πυθίου κ. τ. λ.

Quum Christiani Athenienses Annae et Evangelistriae et Hypapantes aedes loco propinquas exstruerent, dubitari potest, an habuerint quod sequerentur; cf. p. 5 et 31. Nam quae loco propinqua sunt numina, apparet cognata et similitudine quadam coniuncta esse. Annae **) filia Maria parit Christum d. 25 m. Martii conceptum, qui dies nominatur ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας Inde nomen ecclesiae Evangelistriae. Diebus XXXIII post natum Christum ut agebant antiquitus ***), sanxerunt ut purgatio Mariae, Luc. 2, 22, et

---

quae cum aede Annae a monachis possidebantur, sicuti clerici Caesariani Athenis et aedem et coenobium 128, Παναγία, Μεγάλο Μοναστήρι, habebant. Itaque aedes ab lithographo Atheniensi in n. 7 et n. 93, a nobis in n. 14 et 15 positae appendices eius fortasse fuerunt monasterii, ad quod ipsa dicitur Annae ecclesia ante annum 1821 pertinuisse. Quamquam rem incertam et obscuram esse video. Si apicata essent signa ecclesias indicari crederem. Sunt autem quadrata sine apice ad orientem vergente. Cf. p. 32 not., Aedicula.

*) Confer quae Carolus Keilius in Philol. XXIII p. 220 de eius dei apud Athenienses cultu disputavit.

**) Ex Graecorum fastis conceptam d. 9 m. Decembris filiam Anna parit Mariam d. 8 m. Septembris. Annae in coelum ascensus d. 25 m. Iulii, Mariae d. 15 m. Augusti celebratur, ut uterque ascensus in eundem hebdomadis diem incidat.

***) Primis temporibus natum Christum non d. 25 m. Decembris sed

infans in templum delatus celebraretur d. 2 m. Februarii qui dies Ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ nominatur Graecis, nobis Mariae purgatio*). Nunc quadragesimo post partus die, ὅταν σαράντησεν, ut aiunt, ἡ Παναγία, Hypapante celebratur.

N. 14.
Aedificium ignotum.

Signum ab Lithographo Atheniensi inter Annae et Hypapantes ecclesias positum et numero 7 insignitum, reddimus in n. 14 nostrae tabulae, etsi non possumus explicare. Cf. p. 20 cum nota, Ἁγ. Ἄννα.

N. 15.
Aedificium ignotum.

Inter Nicolaum et Hypapanten Lithographus Atheniensis signum habet adscripto numero 93. Nostra in tabula adscriptum n. 15 reperies.

Ad situm n. 15 definitum ne retuleris ea quae sunt apud Pittacem, in Ant. Athen. p. 153. Superiorem enim locum, ubi parietinae fuerint aedis S. Athanasii, dici apparet, quam ut in nostrae tabulae n. 15 fuisse videri possint.

Omnino, quid non fuerit in n. 15 facilius dictu quam quid fuerit. Nam et quae supra coniecimus, cf. p. 20 sq. not., Ἁγ. Ἄννα, et si quid aliud in medium proferre libet, dubium et incertum esse iudicamus.

N. 16.
Ὑπαπαντή.

Parietinae sunt in arcis radicibus inter occasum solis et septemtriones spectantibus. Ascenditur via quae ὁδὸς βουλευτηρίου nominatur. Ubi perventum est ad aream ecclesiae longe prospicitur vel potius despicitur, nam videtur tota urbs substrata et subiecta oculis.

ΥΠΑΠΑΝΤΗ Schaubert. Signum aedis evanuit.

---

ineunte anno celebrabant Christiani; cf. meae Heortologiae p. 82 not. *. Fac Kalendis Ianuariis natum credidisse eos ut post diem sextum baptisma, post tricesimum tertium purgationem matris agerent.

*) Utraque appellatio, „Oblatio Chr. in templo, Purificatio Mariae“, ex calendariis Anglosaxonum affertur a Pipero, Calendar. Berolin. 1862, pag. 75.

67 Ὑπαπάντη Lithogr. Monacens., accentu male posito.

8 Lithogr. Atheniensis. Signo in n. 8 posito Hypapanten significari mihi et G. Kohlmanno satis constare visum est.

In area Hypapantes Metroum olim fuisse Pittaces dixit in Ant. Athen. p. 32. Non solum locus convenit ad ea quae de situ Mētroi aut traduntur aut ex traditis colliguntur, sed etiam permulta acta et decreta ibi et in propinquo sive inventa sive eruta, confirmant apud Hypapanten Atheniensium antiquorum fuisse tabularium; etenim tabulas publicas in Metroo asservari solitas esse constat. Curia autem, τὸ βουλευτήριον, quum a templo matris deorum prope abfuerit, cf. Leakei et Baiteri Topogr. p. 79, Athenienses hoc tempore vias propinquas Tabularii alteram, alteram Curiae nominarunt, quae nomina, ὁδὸς Μητρῴου, ὁδὸς Βουλευτηρίου, nunc publice inscripta leguntur in compitis.

Ad septemtriones versus ab aede Hypapantes repertus est titulus Ephem. n. 1307 p. 787 = Rangab. Ant. Hellen. n. 2322 p. 990. In eo titulo haec sunt: [τὴν ἐπι]σκευὴν τοῦ ἱεροῦ, καὶ κατασκευ[ὴν] | [τὴν κατὰ] τὸ ψήφισμα, ὃ Διοσκουρίδης [εἶπεν]. Ita supplevit Pittaces. Alter editor hoc modo: κατασκευ[ὴν τοῦ . . . .] | [κατὰ] τὸ κ. τ. λ., lacunam esse ratus post versum priorem. Lex autem ab Dioscuride lata eadem est, ut videtur, atque illa cuius mentio fit in titulo tertio Philistoris vol. I. Verba sunt: lin. 40 ἀνέθηκαν δὲ καὶ φιάλην τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν ἀπὸ δραχμῶν στεφανηφόρου ἑ[βδο] | 41 μήκοντα, κατὰ τὸ ψήφισμα, ὃ Διοσκουρίδης Διοσκουρίδου Φηγαιεὺς εἶπεν. Ad matrem deorum igitur decretum auctore Dioscuride factum pertinuit. Sequitur ut templi refectio et Dioscuridis lex, quae sunt in altero titulo, refectio Metroi et lex de cultu matris deorum esse videantur. Columna autem non potuit usquam poni rectius quam apud templum matris deorum, de qua colenda lex erat insculpta. Confirmatur igitur hoc reperto titulo Metroum in area Hypapantes vel in propinquo fuisse.

Ad vicina aedificia haec spectant, Ephemer. n. 2459 p. 1233: l. 11 στῆσαι πρὸς τεῖ στοᾷ τε[ῖ] | 12 [βασιλείῳ]; cf. Leakei et Baiteri Topogr. p. 77 not. 6; et Ephemer. n. 2460 p. 1234: lin. 13 [στῆσαι ἐν τῷ βουλητηρί]ῳ*).

---

*) Pittaces Ant. Athen. p. 32 et 39 complures inscriptiones habet,

Inter Christi 107 et Hypapantes ecclesias inventa sunt fragmenta illius columnae in cuius lin. 63 sqq. legitur: τὸ δ[ὲ ψήφι]σμα τόδε ὁ γραμματεὺς | ὁ τῆς βολῆ[ς ἀναγρ]αψάτω ἐν στήλῃ λιθί|νῃ καὶ κα[τ]αθέ[τω] παρὰ τὸν Δία τὸν ἐλευθέριον, vide Ἐπιγρ. ἀνέκδ. ἀνακαλυφθ. ὑπὸ τοῦ Ἀρχ. Συλλόγου, φύλλαδ. β, 1852, n. 61; cf. ibid. n. 64, lin. 28 sq.: [καὶ στῆσαι πρὸς τ]εῖ στοᾷ τοῦ Διὸ|ς. Videlicet ibi fere fuit porticus Iovis Eleutherii*).

Inde ab anno 1851, fodiendo, loca circa Hypapanten et infra scrutati, quum multas inscriptiones repererunt, tum hoc intellexerunt, non Metroi ceterarumve aedium nobilium parietinas se invenisse. Non quo templum matris deorum, curia, porticus ibi non fuerint aliquando; sed quae nunc aperiuntur scrutando, moenia sunt, fortasse Byzantinae aetatis, quae ab ecclesia Hypapantes usque ad ecclesiam Christi 107 et ultra pertinent**).

N. 17.

Parietinae.

Ubi Lithographus Atheniensis n. 91, ibi nos n. 17 posuimus. Lithographi numerus signum non habet ad quod pertineat, neque nos appinximus signum. Credimus enim numero 91 locum parietinarum antiquarum definiri, quae ibi sunt; cf. p. 25 not. Via declivis ab Apostolis 108 ascendens inde nomen cepit τοῦ βουλευτηρίου. Nam curiae, τοῦ βουλευτηρίου, reliquias esse aliquando putabant. Cf. p. 23 Ὑπαπαντή.

N. 18.

Σολάκοι.

Regio urbis prope Hypapanten 16 vulgo vocatur Σολάκοι· Cf. Pittacis Antiq. Athen. p. 43 sq. 46. 70. Lithographus

---

in quibus legi dicit ἐν Μητρῴῳ, seque eas reperisse apud Hypapanten contendit. Rangabes non sine causa in dubium vocavit omnes Ant. Hellen. n. 1153 sqq. p. 762 sq. et n. 802 p. 425; confer Bursiani Geographicorum t. I p. 283 not. 1. — Contra dicentem Pittacem habes Ephemer. n. 2687 p. 1337.

*) Cf. Bursian l. l. p. 282.

**) Ἐπιγραφαὶ ἀνέκδ. ἀνακαλυφθεῖσαι ὑπὸ τοῦ Ἀρχαιολ. Συλλόγου, φυλλάδ. β', 1852, pag. ζ'; E. Curtii Studior. Attic. I p. 77 sq.

Atheniensis ibi n. 92 habet. Quum nihil signi adsit, non dubitamus, quin numero 92 situm regionis Σολάκοι indicare*) voluerit, quem usque ad S. Apostolos 108 pertinere ex cognomine (Σολάκοι) eius ecclesiae intelligitur.

N. 19.

Εὐαγγελίστρια.

Ab ecclesia Hypapantes sita fuit ad occidentem versus.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΣΤΡΙΑ Schaubert.

Lithographi non habent.

Quum in Schauberti tabula signum vetustate exesum sit, dubitari potest, in utra parte viae Areopagi Evangelistriae sedes fuerit. Literae autem non per ductum viae sed ita ab Schauberto scriptae sunt ut ab ea viae parte incipiant quae ad ortum solis vergit. Ibi signum posuimus.

Caput IV.

Radices arcis ad ortum solis spectantes.

N. 20.

Ἅγ. Γεώργιος.

Facile sub aspectum venit ecclesia sita in arcis angulo qui spectat inter orientem et septemtriones.

In Schauberti tabula signum habes sine nomine. Legeretur nomen nisi usu detritum esset.

19 ἅγ. Γεώργιος Lithogr. Monacensis.

16 Lithogr. Atheniensis.

N. 21 et 22.

Parietinae.

Pro numeris 22 et 23, quos signis nullis appictis lithographus Atheniensis posuit, in nostra tabula substituti sunt

---

*) Si quem huius et prioris explicationis auctorem desideres, afferimus Georgium Kohlmannum Atheniensem. Is n. 91 ad parietinas Curiae, n. 92 ad regionem „Soláki" referri iubet.

21 et 22. Lithographum eis numeris antiqua quaedam fundamenta significasse putamus. Cf. n. 23.

N. 23.

Παναγία (Βλαστική, ut videtur).

Fuit supra Ioannis Theologi ecclesiam 74.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΤΟΥ ΣΑΙΤΑ Schaubert. Cognomen a Schauberto appositum τοῦ Σαΐτα verum esse negat G. Kohlmannus; non fuisse Παναγίαν τοῦ Σαΐτα sed Constantinum Saïtae*). Panagia autem 23 quod habuerit cognomen non docet.

26 Παναγία τοῦ Σαΐτα Lithogr. Monacensis.

15 Lithogr. Atheniensis.

Ubi numerum 23 nos scripsimus, ibi fere Stuartus, Antiq. III post p. VI, haec habet:


Panagia Vlastisis.

Quae lineis designavit antiqua esse videntur fundamenta. Mutatis literis quibusdam in commentario, ibid. pag. III, Panagia vocatur Vlastice sive Vlastorea. Item in Leakei Topogr. legitur: Panaghia Vlastiki templum Serapidis, tab. II et p. 203 Versionis Rienäckerianae. Situs autem ab utroque topographo idem, ut credo, significatur. In Leakei et Baiteri Topogr. p. 196 est Panagía Vlastikí sive Vlastarú; ibi mutata sententia non Serapeum sed Prytaneum fuisse dicitur, magna enim reperta esse alicuius aedificii fundamenta anno 1835. Ea fundamenta, parietinas ex saxo quadrato constructas, vidisse mihi videor super ecclesiam Ioannis Theologi 74. Ergo apud n. 23 Panagía Vlastikí fuit**). Res tamen nonnihil dubitationis habet, quia

*) Vox Βλαστική constat ex octo literis; totidem literae sunt in τοῦ Σαΐτα. Accedit quod quarta litera C et sexta I in utroque cognomine consentiunt. Fieri igitur potuit ut Schaubertus errore oculorum magis quam calami lapsu τοῦ Σαΐτα scriberet, quum Βλαστική esset in exemplo quod sequeretur. Quod autem Schaubertus peccaverat, idem ab imitatore Monacensi peccatum est.

**) G. Kohlmannus per literas interrogatus rescripsit ex hominum memoria prorsus effluxisse Panagiam Blasticen. Qui in propinquo nunc habitant (ad n. 21 et 22, ut Kohlmannus adnotat) nuper aliunde immigrarunt. Sunt Amorgiotae et Anaphiotae. Ex eo genere hominum frustra quaeri quis miretur?

quae Pittaces de „Panagia Vlastiki", Ant. Ath. p. 160, scribit, minus idonea sunt ad situm nobis probatum. Cf. n. 76 Παναγία Ζώνη.

Alteram cognominis formam „Vlastorea" (Stuart), „Vlastarú" (Leake) alia aedes Panagiae pro sua vindicat*). Sequitur ut ab aede Panagiae Blastices 23 abiudicandam esse censeamus.

N. 24.

Ἅγ. Νικόλαος ὁ Ῥαγκαβᾶς.

Sub arcis angulo qui inter septemtriones et ortum spectat ita ecclesia sita est ut infra Georgium 20 sit.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ ΡΑΙ . ΑΒΑΣ Schaubert.

18 ἅγ. Νικόλαος Ῥαγκαβάς Lithogr. Monacensis.

18 Lithogr. Atheniensis.

Ῥαγκαβᾶς incertum an hominis Atheniensis nomen sit. Accentum posui, quem Heldricus poni iubet.

Aedes speciosa admodum et bella duas partes habet, quarum maior S. Nicolai, minor S. Parasceves sacra est.

In propinquo est domus quaedam appendicula S. Sepulchri, μετόχιον τοῦ ἁγίου Τάφου. Pittaces in Ephemer. n. 3260 p. 1697 fragmentum tabulae marmoreae ibi repertum esse scribit, in arcis radicibus ad septemtriones vergentibus; εὑρέθη, inquit, εἰς τὸ κατωφερὲς βόρειον μέρος τῆς ἀκροπόλεως, εἰς τὸ μετόχιον τοῦ ἁγίου Τάφου, quae verba anno 1858 scripta sunt. Omittimus in tabula nostra. Nam etsi Heldricus per literas rogatus docet sub arce ad septemtriones et ortum versus sitam esse prope ecclesiam Nicolai 24, non ea tamen est loci definitio, ut describere queamus. — Devertunt autem ad aedes eas, si qui Hierosolymis veniunt Athenas, posteaquam in loca sacra migraverunt.

N. 25.

Antiqua via quaedam (?).

In lithographi Atheniensis tabula numerus 21 sine signo est propter viam tripodum quae nunc vocatur, non procul ab

*) Panagia „Vlassarú", quam vocem eandem ac „Vlastarú" esse puto, non apud arcem sed prope templum Thesei fuit, in n. 114 nostrae tabulae. Stuartum igitur et Leakeum arguamus confudisse alteram ecclesiam cum altera? Cf. n. 114, Παναγία Βλασταροῦ.

ecclesia Panagiae Dubergenae. Ibidem nos n. 25 posuimus. Quid indicare lithographus voluerit, non liquet, nisi antiquae viae tripodum initium videri potest significasse. Cf. n. 55, Antiqua quaedam via.

N. 26.

Aedificium ignotum.

Infra S. Georgii 20 ecclesiam signum quadratum vides adscripto in nostra tabula numero 26. Lithographus Atheniensis signum suum numero 17 denotavit, quem secuti aedificium — nobis ignotum — indicavimus.

N. 27.

Aedificium ignotum.

Lithographus Atheniensis sub arcis angulo inter ortum solis et meridiem spectante hoc signum habet sine numero: . Numerus si forte excidit fuerit 24. Reddimus signum in nostrae tabulae n. 27, quamvis quid rei subesse voluerit lithographus explicare non possimus.

Caput V.

Regio Theatri.

Regionem theatri eam dicimus quae odeum Herodis et theatrum Bacchi complexa ab arce ad meridiem vergit.

Arcus qui inter odeum et theatrum sunt non eodem semper nomine appellantur in Ephemeridibus Archaeologicis, quod propter titulos ibi repertos moneo. In n. 1706 p. 987 et n. 3518 p. 1835 editor porticum Eumenis, postea Ϲερπετζέν nominat in n. 3548 p. 1849: τὸ νότιον τῆϲ Ἀκροπόλεωϲ περίφραγμα, καλούμενον νῦν τῷ Τουρκικῷ ὀνόματι Ϲερπετζέϲ; n. 3700 p. 1904; n. 3867 p. 1989; n. 4047 p. 2030; n. 4072 p. 2043; n. 4074 p. 2044. Nam opere illo arcuato, quo rex Eumenes duxisse porticum aliquando crediderunt*), Turcae ita usi sunt ut in partem moenium converterent.

*) Stuarti Antiq. III post p. VI; Leakei et Rienäckeri Topogr.

N. 28.

Παναγία Χρυσοσπηλιώτισσα sive Σπηλιώτισσα.

Aedicula supra theatrum sita nunc perquam ruinosa est.
ΧΡΥΣΟΣΠΙΛΙΩΤΙΣΑ Schaubert.
16 Χρυσοσπιλιώτισα Lithogr. Monacensis.
25 Lithogr. Atheniensis. Numerus lectu difficilis non dubitamus quin 25 fuerit.

Abiectis primis syllabis Panagia Spiliotissa vocatur a Sponio (apud Labordium, Athen. II p. 24), Stuarto (Antiq. III post p. VI) aliis. Nomen ductum est a σπηλιά (specus), ut Χρυσοσπηλιώτισσα et Σπηλιώτισσα scribendum sit.

Nomine non adscripto aediculae speciem et formam expressisse videtur Verneda centurio Venetus, apud Fanellium post p. 308. Quae paullo inferius conspicitur casa S. Annae 29 esse existimanda est.

Encaenia fuerunt d. 15 m. Augusti, quo die mortuae Mariae in coelum ascensio agitur*). In specu, exaedificato olim et exornato atque in aedem sacram converso, etiam nunc exstat tabula picta propinquis circum corpus mortuae stantibus. Lucerna quoque accendi solet, quam ardentem et mulierculas quasdam numen adorantes ibi vidi anno 1866.

Qualis sit specus, Pittaces Ant. Athen. p. 214 exponit. In novarum Ephemerid. tab. 42 sollerter adumbratam habes ab Zillero, commentarium addidit Rusopulus, ib. p. 294, qui specum Panagiae in monumentis Pelasgicis numerat.

Pittaces matres Athenienses olim ad Panagiam Speliotissam narrat adscendisse, ut infantes suos morbo aegros tutelae eius commendarent; antiquitus autem commendasse Dianae Dictynnae, cuius in specu fuisse sacellum. Titulus**) ex

---

p. 226. In altera editione Leakeus porticum Herodis vocat. Cf. Leakei et Baiteri Topogr. p. 211.

*) Idem dies m. Augusti celebratur in monasterio Cretico, cui nomen est Σπηλαιώτισσα; Churmusis Creticorum p. 15.

**) Ephemer. n. 3646 p. 1882. Inscripta haec leguntur: [Τιμ]οθέα Ἁγνίου Ἐρχιέως γυνὴ | παιδίων Ἀρτέμιδι Δικτύννει ἀνέθηκεν, i. e. Timothea Hagnii Erchiensis uxor propter infantes Dianae Dictynnae dedicavit (rem quandam, quae in basi posita erat). Quod Pittaces ad specum deamque quae ibi habitaverit quondam, pertinere ea opinatur,

quo hanc coniecturam Pittaces facit propė theatrum Bacchi inventus est; sitne longe a specu an prope inventus, non reperio. Qui ante ipsum specum sunt tituli *) ad Apollinem pertinere videntur, cuius et sororis imagines ibi fuisse Pausanias scribit. Antrum igitur, ut opinor, Letoïdarum sacrum fuit. Sequitur ut quaeramus, num ex Apollinis templis quae sunt apud Pausaniam, sumere unum liceat, quod eo loco fuisse iudicemus atque antecessisse Panagiam Speliotissam. Mea quidem sententia non licet **).

---

etsi indicia testium idoneorum desunt, nescio an recte et vere dixerit. Verum eundem erroris et oblivionis Pausaniam arguentem, in tanta rei obscuritate quis probet aut ferat? Ἐν δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ θεάτρου, inquit Pausan. Att. 21, 3, σπήλαιόν ἐστιν ἐν ταῖς πέτραις ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν, τρίπους δὲ ἔπεστι καὶ τούτῳ· Ἀπόλλων δὲ ἐν αὐτῷ καὶ Ἄρτεμις τοὺς παῖδάς εἰσιν ἀναιροῦντες τῆς Νιόβης. Fuerunt igitur Apollo et Diana, opere caelato in tripode effieti, qui in summo cello positus sub adspectum cadebat. Nihil obstat quominus specum et Letoïdarum simulacris insignem et Dictynnae sacrum fuisse putemus, dummodo constet de Dictynna; quae si primo eius loci domina fuit, postea frater addi potuit, ut par aut potior sensim evaderet cultus Apollinis.

*) Tituli tres sunt: C. I. n. 224—226. Editor ad Bacchum refert, abindicat ab Apolline. Ubicunque tibicen, ut n. 224 Εὔιος Χαλκιδεὺς ηὔλει, cf. n. 225 sq., commemòretur, cyclium chorum intelligi iubet; cyclios choros autem solius Bacchi esse, ab Apolline abhorrere. In Heortologiae meae p. 423 choros Thargèliorum dixi cyclios fuisse neque arbitror multum interfuisse inter Thargelia et lyricas partes Dionysiorum urbicorum; quin etiam pro uno eodemque numine habiti sunt Bacchus et Apollo.

**) Si Diana Venatrix sive Dictynna prima antri domina fuit nec sine causa Apollo Delphinius cum Dictynna componitur, cf. Heortologiae p. 400 not. *, Delphinium, templum ab Aegeo rege exstructum, apud Panagiam Speliotissam, fuisse videri potest. Verum id concedere vix licet per Pausaniam. Nam is uno loco specum commemorat Att. 21, 3, alio Delphinium ib. 19, 1. Accedit quod Delphinium non procul ab Olympico ponit, si quidem aedium enumeratio propinquitates locorum sequitur, quod si non necessarium at probabile visum est topographis. — Verba autem Pausaniae 19, 1, quod in transitu libet expedire, integra sunt, nec recte indicarunt qui vocem ὄροφον corruptam putarunt. Saxa quibus tectum exstructuri erant in plaustrum imposuerant. Id plaustrum una cum saxis quae insunt Theseus tollit et sursum iacit.

N. 29.

Ἁγ. Ἄννα.

Supra theatrum pars manet fundamenti in quo S. Annae aliquando aedes erat. Exiguas reliquias infra Panagiam Speliotissam 28 ad orientem versus sitas non reperissem nisi vetula quaedam vicina monstrasset.

ΑΓ ΑΝΝΑ Schaubert.

15 ἁγ. Ἄννα Lithogr. Monacensis.

26 Lithogr. Atheniensis.

Panagiae cum matre Anna coniunctio redit in contraria parte radicum arcis ubi Hypapantes et Evangelistriae et Annae ecclesiae propinquae sunt. Cf. p. 5 et 21.

N. 30.

Ἅγ. Γεώργιος Ἀλεξανδρινός.

Fuit infra aedem S. Annae 29.

ΑΓ ΓΕΩΡΓΙΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΟΣ Schaubert.

14 ἁγ. Γεώργιος Ἀλεξάνδρινος Lithogr. Monacensis, accentu depravato.

30 Lithogr. Atheniensis.

Ecclesia Georgii Alexandrini quum bello cum Turcis inde ab anno 1821 gesto displosa et disiecta esse dicatur, mirere quod Pittaces in Athenis Antiquis anno 1835 scriptis tunc ibi*) fuisse aediculam S. Georgii ait, l. l. p. 210. Putandum erit eius ecclesiae quamvis deletae tunc, anno 1835, mansisse parietinas, quae nunc quidem plane sublatae sunt.

In ecclesia D. Georgii Alexandrini prope Academiam inventus esse traditur titulus C. I. n. 816 p. 519, editus ab Dodwello. In Academia ad meridiem versus ab arce posita ne quis offendat, Theodorus Zygomalas quoque inter Areopagum et Lyceum collocat**).

---

*) Quem locum dicat dubitari non potest, quoniam de Limnis, antiquae urbis regione, et de vetustiore illo Bacchi templo (cf. Heortologiae meae p. 353 not.) disputat, quod fuisse in ipsa S. Georgii area opinatur. Quare non licet Georgium (Ant. Athen. p. 210), eum interpretari qui in nostrae tabulae n. 20 est.

**) Cf. Labordii Athenar. I p. 65 ibique Zygomalae epistolam: αἱ γὰρ Ἀθῆναι, ἃς πολλάκις ἴδον — — αὐτός τε διῆλθον, ἀκριβῶς φιλο-

Dubium esse video, num huc referendus sit titulus C. I. n. 1012 p. 546, repertus „ad ecclesiam ruinosam D. Georgii prope monasterium Capucinorum“. Aequis fere spatiis a monasterio (in n. 52 nostrae tabulae) aedes Georgii 20 et Georgii Alexandrini 30 distant; haec tamen paullo propius abest.

N. 31.

Aedicula (?).

Propter aedem S. Georgii Alexandrini 30 Lithographus Atheniensis exiguum signum cum numero habet: ◆ 29 ◆ 30; quem secuti signum aedificii, nobis ignoti, posuimus in n. 31 nostrae tabulae, quem pro illius numero 29 substituimus. Lithographus aliquam aediculam iampridem eversam videri potest significasse*).

N. 32 et 33.

Parietinae (?).

Numerus 32 et 33 sine signis vides, quos pro Lithographi Atheniensis n. 27 et 28 substituimus. Is fortasse Pittace auctore suis numeris theatri partes significavit, quarum aut parietinas ibi cernere sibi videbantur aut situs coniectura assequebantur; ut n. 32 = n. 27 Lithogr. Athen., ad partem summae caveae pertinere videri potest, quam constat iam ante effossum theatrum conspicuam fuisse. Cf. quae Guil. Vischerus in Musei Helvet. III p. 4, an. 1863, narrat. Alterum n. 33 = 28 Lithogr. Athen., vix audeo explicare, quamvis in promptu sint, quae de templis Bacchi et porticu Pittaces in Ant. Athen. p. 210 sq. disputavit.

πραγμονήςας πάντα· τόν τε Ἄρειον Πάγον, τὰς ποτὲ Ἀκαδημίας, τὰ Ἀριςτοτέλους, τὸ Πάνθεον κ. τ. λ., cum Labordii nota ib. p. 56. — L. Rossius quoque epistolam edidit in Archaeologicorum tomi I p. 255.

*) Quum Lithographus Athenas, quales anno 1820 fuerunt, cf. p. 21, in tabula sua descripserit, antiqua aedificia, quae quidem funditus eversa sunt, non signis, sed numeris indicasse existimandus est. Fac cum indicasse eadem, quae Pittaces Ant. Athen. p. 210 sq. indicavit de Bacchi templis et porticu: non licebit illud aediculae signum ad aliquod unum de aedificiis a Pittace l. l. commemoratis referre. At quadratum signum est, sine apice quo ecclesiae indicari solent? at sunt etiam ecclesiarum aliquot signa apice carentia. Nam etsi, ubi apex, ibi ecclesia est, invertere non licet, ubi desit, non esse ecclesiam.

N. 34.

Vigiliarium Turcarum.

Signi ab Lithographo positi forma haec est: ⛉. Adscripsit numerum 31*), quem nos in n. 34 mutavimus. Singulari autem signi sui specie Lithographus aedes indicavit quibus milites Turcici excubantes uti soliti sunt. In propinquo erant moenia et porta quam Inté Kápesi sive portam Albanam nominabant.

N. 35.

Ἁγ. Παρασκευή.

In extrema parte veteris urbis fuit ad meridiem versus.
ΑΓ ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ Schaubert.
12 ἁγ. Παρασκευή Lithogr. Monacensis.
Signum habet Lithogr. Atheniensis, numero non addito.

Caput VI.

Arx et Areopagus.

N. 36.

Τσιαμί; Θεοτόκος; **Parthenon.**

Posteaquam Minerva in Parthenone coli desita est, Sapientiae divinae id templum dedicasse ferunt Christianos, quam commutationem in Imperatoris Iustiniani regnum incidere Leakeus arbitratur, Topogr. Ed. II p. 62 = p. 43 Baiter. Eius autem Sapientiae, τῆς ἁγίας Σοφίας, in Parthenone cultae fides et auctoritas nulla. Nam quod Anonymus Parisinus, apud Labordium, Athen. I p. 78, tradit, S. Paulum in ara quadam Parthenonis legisse: ἀγνώστῳ θεῷ, seque ea verba scripta vidisse in porta templi Turcici**), ab Christianis autem

*) Numerum 31 Lithographus inter vigiliarium et Parasceven posuit ut non liqueat utri aedificio adscripserit. Paulo propius tamen numerus abest a vigiliario.

**) Anonymus Parisinus, qui anno 1670 scripsisse videtur, iis adnumerandus est, quos eius rei auctores Lud. Rossius in Archaeologicorum tom. I p. 273 recenset. Consentiunt in Parthenone illud ἀγνώστῳ θεῷ

eam aedem S. Sophiae ecclesiam factam esse, mirere cur nulla fiat matris Christi mentio, cuius constat fuisse aedem antequam Turcae in Graecia dominarentur. Etiam Babinus, an. 1672, in Sapientiae aeternae ecclesiam mutatum Parthenonem loquitur, apud Labordium I p. 196; in quo item mirari licet, cur omiserit et neglexerit id quod proximum et certissimum erat, ante dominatum barbarorum matris Christi sacrum fuisse Parthenonem, curaverit et tractaverit rem obscuram et antiquam. Etenim si unquam Christiani priscum fanum Minervae converterunt Sophiaeque dedicarunt, primis temporibus (saeculis post Chr. VI, VII) dedicaverint necesse est, quod recentioribus temporibus non Sophiae sed Panagiae aedes erat.

Nihil tribuendum fuerit titulo qui apud Pittacem est in Ant. Athen. p. 387: Χλ′ μετὰ τὸ cωτήριον ἔτοc ἐγκαινιάcθη ὁ ναὸc οὗτοc τῆc ἁγίαc Cοφίαc. Editor, qui anno 1835 primus in lucem protulit, ante recuperatam an. 1821 libertatem in Parthenone legisse se scribit; quae ego ita interpretor: anno 1835 non erat ubi fuerat atque adeo nullus erat titulus. Sunt autem in isto titulo quae dubitationem moveant. Miror, nostram temporum rationem — Χλ′ μετὰ τὸ cωτήριον ἔτοc i. e. 630 post Chr. — abs quo Graeci subito didicerint, septimoque saeculo nostrae rationis periti, cur postea obliti sint. Nam eo tempore et multo etiam post Graeci, si quid agebant publice, annos ab ortu mundi computabant. Cf. Ideleri Chronolog. II p. 464. Quare satius erit, titulo, quam si editorem exceperis nemo vidit, fidem abrogare. Nolo mendacii arguere Pittacem; memoria eum fefellit; nam quae narrat, memoriter narrat. Memoria autem et recordatione quid potest esse fallacius?

Matrem Christi in Parthenone adorasse Christianos quum scriptores quidem aut declarant aut certe significant, tum tituli in columnis ius aedis insculpti confirmant.

---

inscriptum fuisse ut res quae narratur vix possit haberi pro ficta fabula. Ita sensit Rossius quoque l. l. Facile enim fieri potuit, ut Christiani Athenienses pia fraude usi verba Ἀγνώcτῳ Θεῷ in fronte templi inscriberent quaeque in Act. Apostol. 17, 23 narrata acceperant, habere domi et in suae urbis illustrissimo monumento posita intueri cuperent, quamvis Paulus non Athenis sed in litore Phalerico nomen ignoti dei legisset.

Anonymus Viennensis, περὶ δέ γε τοῦ ναοῦ τῆς θεομήτορος, § 11 inquit, ὃν ᾠκοδόμησαν Ἀπολλῶς καὶ Εὐλόγιος*) ἐπ' ὀνόματι ἀγνώστῳ θεῷ, ἔχει οὕτως· ἔστι ναὸς δρομικώτατος (peramplus) καὶ εὐρύχωρος εἰς μῆκος πολὺ ἐπεκτεινόμενος· καὶ τὰ τείχη τούτου ἐκ μαρμάρου πεποιημένα λευκοῦ κ. τ. λ. Cf. Rossii Archaeol. I p. 253; Labordii Athen. I p. 24. Dubitari non potest quin Parthenon dicatur; manifesta est eius aedis descriptio.

Sponius, an. 1678, S. Virginis imaginem pictam in camera Parthenonis vidit, superstitione factum esse ratus, ut Turcae, quum gypso dealbarent parietes, non cameram quoque cum S. Virgine oblinerent. Cf. Labordii Athen. I p. 5 not.

Zonaras tom. III p. 181 edit. Hieron. Wolfii aedem matris Christi Atheniensium commemorat: αὐτὸς (Βασίλειος ὁ Βουλγαροκτόνος) εἰς Ἀθήνας ἀφίκετο, θύσων τῇ Θεοτόκῳ τὰ χαριστήρια (Bulgaros vicerat an. 1019), καὶ ἀναθέμενος τῷ ναῷ πολλὰ καὶ πολυτελῆ, ἐπανέζευξεν εἰς τὴν ὑπερκειμένην (principem) τῶν πόλεων (Constantinopolim rediit) καὶ κατήγαγε θρίαμβον. Eadem fere apud Georg. Cedrenum ed. Par. p. 717: καὶ ἐν Ἀθήναις γενόμενος καὶ τὰ τῆς νίκης εὐχαριστήρια τῇ Θεοτόκῳ δοὺς καὶ ἀναθήμασι πολλοῖς λαμπροῖς καὶ πολυτελέσι κοσμήσας τὸν ναόν, ὑπέστρεψεν εἰς Κωνσταντινούπολιν. Parthenonem intelligendum esse viderunt Surmeles (Κατάστας. συνοπτικὴ τῶν Ἀθηνῶν p. 34 not.) et Ellissenus (Mich. Acominat. p. 5 not.). Basilius igitur in arcem ascendit

---

*) Labordius, Athen. I p. 31, nomina esse eorum putat, qui Parthenonem in ecclesiam mutaverint; conqueritur operas mercenarias pro architectis haberi, qui divinum illud artis opus mente conceperint et perfecerint. — Si Parthenon saeculo VI Christi matri dedicatum est, eius commutationis auctores ii fuisse videri debent, qui tunc ingenio et doctrina aut honore et potentia eminebant. Sexto autem post Chr. saeculo patriarchas Alexandrinos Apollinarem an. 551 et qui huic successit Eulogium an. 580 fuisse reperio; Gibbon cap. XLVII = tom. IX p. 134 sq. Vers. Viennens. Sed ne hac quidem explicatione omnes discutiuntur tenebrae. Manent enim, quae perabsurda et vix credibilia sint; patriarchae Alexandrini non auctores suasoresque templi in ecclesiam conversi inducuntur sed perinde habentur quasi architecti sint (ᾠκοδόμησαν). Quid autem aedificant? aedem vero deo dedicandam? imo vero ignoto numini colendo operam dant, qui Christiani sunt et patriarchae!

an. 1019 ac matri Christi, in Parthenone sacrificans, res illas multas et pretiosas dedit ab aedituis custodibusque asservandas.

Post captas Athenas an. 1205 Latinis iam dominantibus, vir ingenio et virtute praestans, Michaël Acominatus, Atheniensium ante cladem episcopus, pulsus erat sancta sede sua atque arce, quam fortiter defenderat. Qui quum fratris carissimi (Nicetae) mortem exsul in insula degens accepisset, monodiam*) scripsit atque orbitatem fratris suosque casus deflevit. Ea in oratione ita conqueritur sortem suam ut celeberrimam et opulentissimam aedem (cf. Zonarae et Cedreni: ἀναθήματα πολλὰ καὶ πολυτελῆ, p. 35) a maioribus matri Christi olim dedicatam, tunc direptam et expilatam deploret et commiseretur**). Nimirum ipse ibi paucis ante annis sacris functus pretiosisque illis vasis usus erat. — Hoc quoque loco, quae matris Christi aedes dicitur, Parthenon est, in ecclesiam mutatus.

Athenienses ut sunt leviculi et gloriolae amantes, Byzantinis quum aemularentur, Parthenoni suo nomen S. Sophiae temere imposuerunt, quod fando acceptum in vulgus emanavit mansitque tanta tenacitate, ut paucis abhinc annis, anno 1842, etiam essent qui S. Sophiam vocarent; vide Notam Surmelis l. l. Tunc certe S. Sophiae non erat illa aedes, quatuor saeculis ante in templum Turcarum conversa, Turcis fusis et fugatis deserta.

Elogia Christianorum in strigibus columnarum Parthenonis inscripta, plus octoginta numero Antoninus archimandrita et Pittaces, Athenienses, nuper in lucem ediderunt. Insunt nomina episcoporum, aedituorum, al., aut mortuorum aut opem divinam implorantium. Magna ecclesia Athenarum, ἡ μεγάλη ἐκκλησία Ἀθηνῶν, cuius frequens est mentio, quaeritur utrum aedes sit an commune eorum, quibus praeerat episcopus Atheniensis. Vasorum quidem custos σκευοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Ἀθηνῶν, Ephem. n. 2956, 2979, 2981 sq., id munus habebat ut quae in certo quodam aedificio et eo sacro asservabantur, cura diligentiaque sua custodiret***). Ac-

*) Μονῳδία εἰς τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ κύριον Νικήταν τὸν Χωνιάτην; Ellissen l. l. p. 172.

**) Ellissen l. l. p. 38.

***) Michaël Acominatus, episcopus Atheniensis, quum alias epistolas dedit, tum scripsit τῷ μεγάλῳ σκευοφύλακι (ἔπειτα τῷ πατριάρχῃ)

cedit quod n. 2983 cκευοφύλακα τῆc Θεοτόκου legimus, ubi vasa matris Christi interpretari oportebit sacram supellectilem aedis matri Christi dedicatae. Vasa autem matris Christi eadem esse patet ac vasa magnae ecclesiae Athenarum. Itaque verisimile est „magnam ecclesiam“ Parthenonem esse, tunc matris Christi sacrum*).

Mater Christi non uno nomine adoratur; plerumque Θεοδόχε Δέcποινα vocatur, 2960 sq. 2979. 2981 sq.; in nonnullis titulis Θεοτόκοc est, 2980. cf. 2978 et 2983, 9; raro Παναγία appellatur, idque ita, ut Panagiae nomen non esse in verbis sollennibus videatur, 2978, lin. 6, ubi praecesserat lin. 1 ἱκετεύω cὲ τὴν μ[ό]νην Θ[εοτό]κον. Implorant autem opem aegrotantes ut opinor aut moribundi, ut in num. 2979: Θεοδόχε Δέcπ[οι]να πιcτῶν τὸ κ[έ]ρ[α]c c[ῶ]ζε φύλαττ[ε Θ]εόδωρον κ. τ. λ.; n. 2980: Θεοτόκ[ε] βοήθ[ει] τὸ[ν] cὸ[ν] δοῦλο[ν] Θωμᾶν κ. τ. λ. In num. 2992 sollennes quatuor appellationes conscripserunt ut qui vellent uterentur: χαῖρε κεχαριτωμένη [ν]αὲ θ[εοῦ] ἔμψ[υχε] alia.

Quod in aliis titulis non mater Christi sed deus imploratur: μνήcθητι Κύριε τοῦ cοῦ δούλου, documento esse nequaquam poterit Parthenoni unquam nomen fuisse ecclesiae Domini. Graeci non nominaverunt ullam aedem ἐκκληcίαν τοῦ Κυρίου.

Sedes episcopi in Parthenone fuit, in quam gradibus tredecim ascendebatur. Cf. Anonym. Labordianum, ap. Labordium I p. 78. Episcoporum autem nomina et tempora satis multa praebent tituli, in quibus primum episcopos (fere saeculo IX), deinde archiepiscopos (fere saeculo X), denique metropolitas vocari, scite editores adnotaverunt. Lectionibus autem quum verborum tum inprimis numerorum annisque nostris compu-

---

κυρῷ Γεωργίῳ τῷ Ξιφιλίνῳ, unde munus custodis vasorum magna dignitate fuisse elucet. Bandinius adnotat, Xiphilinum anno 1192 ex magno scevophylace patriarcham Constantinopolitanum factum esse. Ellissen l. l. p. 195.

*) Communionem sacrorum hominesque episcopi Atheniensis imperio subiectos interpretari nescio an liceat in n. 2984: πρεcβυτ[έρου τῆc] ἐκκληcίαc Ἀθηνῶν, ubi adiectivum μεγάλη deest, et in n. 2951, lin. 4 sq. [τῆc] ἁγιωτάτηc ἐκκληcίαc Ἀθηνῶν. Quamquam ne ibi quidem ineptum fuerit, aedem intelligere. — Etiam καθολικὴ ἐκκληcία vocari Parthenon videtur; cf. Erechtheum p. 40.

tando inventis propter ea minus diffido, quod non solus Pittaces his titulis operam dedit, ille vero sacerdos Antoninus, operis socius, diligenter in describendo versatus est. Cf. Ephem. p. 1441 not. Accedit quod series illa pontificum Atheniensium se ipsa quodammodo tuetur. Anni enim nec ultra aetatem Iustiniani († an. 565) ascendunt et ante captam ab Latinis (an. 1204) Constantinopolim desinunt, XIII autem saeculo ineunte episcopum latinum Berardum Athenas missum esse constat. Cf. Ellissen l. l. p. 36. In annorum numeris ad calculos vocandis quae una occurrere possit dubitatio, ita diluitur et tollitur ut fidem non imminuat. Duo in titulis genera insunt annorum, Mundi et Indictionum. Alterum numerum altero eiusdem tituli examinare licet constatque ratio ita si unus idemque annus ex utroque efficitur. Sunt autem tituli in quibus Indictio priorem, tempora Mundi posteriorem annum indicent, ut in n. 2952 Indictionis annus septimus est, Mundi annus 6202 = p. Chr. 694 non septimo sed octavo anno Indictionis respondet. Eadem res in aliis quoque reperitur titulis, ubi menses sunt extremi. Verum is non error est sed diversa a Latinis ratio computandi, cuius exemplum Idelerus Chron. II p. 465 affert.

Episcoporum Atheniensium seriem non citra annum 1204 p. Chr. descendere dixi. Quae ad posteriora tempora pertinere additis annis reperiuntur elogia nec episcoporum nomina praebent et perpauca sunt, unum graece, pleraque (tria) latine scripta. Cf. Ephem. p. 1443 n. 17. 18. 19 et p. 1447 et Tabulae lithographicae columnam alteram in n. 2995 ibidemque columnam tertiam in n. 2996 et n. 2994. Haec elogia Latinis in Graecia dominantibus exarata esse et sermo latinus et anni demonstrant.

Illo tempore Parthenon mutatus in ecclesiam Metropolis erat Christianorum Atheniensium neque vero ea aedes, quam nunc (antiquam) Metropolim vocant, nostrae tabulae n. 142. Etenim ille amplus magnusque et erat et appellabatur (μεγάλη ἐκκλησία Ἀθηνῶν), haec parva nec ad frequentiam Christianorum complectendam idonea ut civitatis ab episcopo administratae caput esse potuerit. Quare Surmeles suspicatus est Ducem aliquem exstruxisse eam ut privatim uteretur neque vero ut omnes admitteret.

Praeter episcopos alii occurrunt S. Virginis ministri saepe-

que fit ut unus et idem duobus muneribus fungi videatur aut non uno titulo praedicetur. Ex Ephem. p. 1442 sq. haec exempla appono: Μιχαὴλ πρωτοψάλτης καὶ σκευοφύλαξ, Γερμανὸς χαρτουλάριος, Ποθητὸς διάκονος καὶ οἰκονόμος, Ἐλπίνετος χαρτοφύλαξ, Ἰωάννης διάκονος καὶ σκευοφύλαξ καὶ οἰκονόμος, Θεόδωρος μοναχὸς καὶ σκευοφύλαξ, Ἰωάννης πρωτόπαπας, qui omnes vixerunt ante an. 1204 post Chr. Aliorum nomina et munera, anno non addito, insculpta sunt, quae editores in Eph. p. 1447 sq. collegerunt. Horum quoque nonnulla subiicio: Δημήτριος λειτουργὸς καὶ ὀρφανοτρόφος*), Ἰωάννης διάκονος καὶ οἰκονόμος, Τ . . . καὶ κουράτωρ, Ἰωάννης διάκονος καὶ δηπτάτωρ**), Γεώργιος πρεσβύτερος καὶ γραμματικός, Γεώργιος μοναχὸς καὶ ἡγούμενος, Λέων πρεσβύτερος, Θωμᾶς ἀναγνώστης.

Prope Parthenonem elogium quoque Pittaces invenit editum in Ephem. n. 3712 p. 1910, in quo mentio est mulieris Christianae, quae praefuisse monasterio S. Trinitatis dicitur, καθηγουμένη τῆς μονῆς τῆς ἁγίας Τριάδος. In propinquo reperta esse fundamenta quaedam, eaque continentia et adiuncta magno aedificio, editor scribit; illa pro aede S. Trinitatis, hoc pro monasterio, cui mulier ista praefuerit, idem putat habendum esse: quae vera an falsa sint non quaero, refutari certe non possunt quod testimonia***) eius rei desiderantur.

Quum Turcae Parthenonem in sui Dei templum mutarent

*) In n. 2971 haec leguntur, lin. 3 sqq.: τῆς ἁγιωτάτης ἐκ[κλησίας] Ἀθηνῶν Βασιλεί[ου] κ[αὶ] Δημητρί[ου] Λειτουργ[ῶν] αὐτῆς ὀρφανοτρόφ[ων]. Orbos tunc educatos esse publice Pittaces opinatur, Ephem. p. 1448, fuisseque aedes quasdam in arce ubi alerentur. Res incerta et perobscura est. Cf. not. ***.

**) Pittaces, Ephem. p. 1445 not., interpretatur τὸν φυλάττοντα τὰ δίπτυχα καὶ βίβλους τῆς ἐκκλησίας, ut emendatius scribendum sit διπτάτωρ.

***) Nam quod ad illud elogium Eph. n. 2971 atque curatores orborum Basilium et Demetrium provocat Pittaces, appellat amicos et advocat, qui nocituri sunt. Contendit monasterium S. Trinitatis fuisse idem atque orphanotropheum istud quod tituli, Eph. n. 2971, interpretandi causa excogitavit. Illi autem mulier praeest, hoc a viris administratur ac virum quoque praefuisse dixeris. Sequitur ut non eadem fuerit illa et haec domus. Asylum, si fuit unquam, non solum puellis sed etiam pueris aperuerunt Christiani neque causa est cur παρθεναγωγεῖον (Eph. n. 3598. 3712) fuisse dicamus.

dealbatis parietibus, an. 1459, cf. Labordii Athen. I p. 5, non plane deleverunt pictas ab Christianis sanctorum hominum imagines, quae, quamvis illitae et infectae nescio quo colore, tamen dispiciuntur et omissum Dei cultum locaque deserta quasi velatae ac squalentes moerere videntur et lugere.

N. 37.

Erechtheum.

Erechtheum quoque in ecclesiam ab Christianis conversum esse dicunt Pittaces, qui in Eph. n. 1102 sq. p. 640 sq.; n. 1204 p. 742 Christo generis humani Servatori, τῷ Cωτῆρι, ib. p. 1810 not. — oblitus prioris placiti — Matri Christi, τῇ Θεοδόχῳ, dedicatum esse scribit, et Rangabes Ant. II p. 947 non consentiens ille quidem cum Pittace de singulis rebus, nam nomen ecclesiae non tradit; at fuisse ibi ecclesiam scribit constare.

Mariae, matris Christi, unquam sacrum fuisse Erechtheum non adducor ut credam. Testimonia non video ulla afferri praeter unum elogium in Erechthei pariete insculptum, Eph. n. 3467 p. 1809: Θεοδόχε Δέcποινα πιcτῶν τὸ κέραc cῶζε καὶ φύλαττε τὸν cὸν ἱκ[έτην] Δ[ι]ονύcι[ον] Ἰωάννην ταπεινὸν καὶ ψάλτην καθολικῆc ἐκκληcίαc Ἀθηνῶν. Ἀμήν. Dionysius Ioannes sine dubio minister fuit Beatae Virginis in Parthenone cultae, quae aedes in elogio καθολικὴ ἐκκληcία vocatur. Fanum amplissimum, ubi episcopi sacra facere solent, ad omnes homines pertinet quibus praeest episcopus meritoque catholicum appellatur; ut vel parva illa, quae postea fuit, metropolis (in nostrae tabulae 142) καθολικόν vocari solita est*). Forte factum est ut illud elogium non in Parthenonis columnis insculperetur, ubi similia elogia, Eph. n. 2979. 2981 sq. p. 1439 sq., leguntur. — Itaque si aliquando conversum Erechtheum est in ecclesiam, nec episcopi, cf. p. 251,

---

*) Pittaces quoque, p. 1810 not., hanc rem attigit sed tam negligenter scripsit ut sint quae nequeant intelligi. Inepte autem dicit: οὕτωc (καθολική) ἐπικαλεῖται ἡ Ἀνατολικὴ ἐκκληcία εἰc τὸ Cύμβολον τῆc Πίcτεωc, nisi forte iste cantor (ψάλτηc) omnibus hominibus psallit, quicunque legis Christi studiosi erant. — Extrema verba Pittacis: τὸ καθολικὸ κ. τ. λ. non intelligo.

Παναγία Πυργιώτισσα; aut alii sacrorum ministri ibi habitarunt, Servatoris fuisse magis credo, id quod, antequam in errorem induceretur elogio illo n. 3467, Pittaces tradidit, hominum famam, ut ego existimo, et opinionem secutus. Eam famam perobscuram duco, quippe quae supra quadringentesimum annum repetatur. Etenim Latinis dominantibus Dux habitavit in Erechtheo*), antequam in gynaeceum mutaret praefectus Turcarum.

N. 38.

Ταξιάρχαι; **Propylaea.**

In Propylaeorum parte ortum solis spectante, quum is locus expurgaretur et everreretur, duabus in tabulis picti comparuerunt archangeli Michaël et Gabriel, quos Ταξιάρχας Graeci vocant. Cf. Ephemer. p. 938. Qui invenit eos, Pittaces, Taxiarcharum ibi fuisse ecclesiam arbitratur. Divinos velut custodes in arcis aditu posuisse videntur ut praesidio essent.

N. 39.

Domus.

In extrema arcis rupe prope Erechthei fanum signum cum numero posuimus, praeeunte Lithographo Atheniensi, qui n. 159 adscripsit. Ea Turcae cuiusdam casa fuit. Nunc ibi aliquot monumenta antiqua in arce effossa asservantur.

N. 40.

Panis specus.

Quae prope Panis specum fuisse dicuntur ecclesiae duae, S. Athanasii**) et Apostolorum***), quum non reperiantur in tabulis topographorum, ne nos quidem ausi sumus situs de-

*) cf. Labordii Athen. I p. 6.

**) Pittaces, in Antiq. Athen. p. 153, sub Panis spelunca operis latericii reliquias quasdam manere dicit; quas aedis S. Athanasii esse parietinas. Nemo alius, sive scriptor sive topographus, eo loco S. Athanasii ecclesiam esse aut fuisse tradidit.

***) Pittaces, in Antiq. Athen. p. 157, de locis prope specum Panis et Agraulium sitis disputans, Apostolorum ecclesiam ibi fuisse scribit saeculo XVII Venetis in Atticam invadentibus; tunc, sub an. 1835, in ea area tormenta disposita esse. Ego non reperio in tabulis Venetorum.

monstrare signis; propter id ipsum Panis specum numero significavimus, ut habeas quo aedes sacras illas Christianorum applices.

N. 41.

Porta qua nunc in arcem itur.

Qui sub annum 1835 in propinquo habitabant, Pittaci narrarunt, supra theatrum Regillae, ubi Turcarum templum ante an. 1821 fuisset, S. Anargyros aliquando habuisse sedem. In tabulis Venetorum nec ecclesia nec moschea eo loco adumbrata aut descripta conspicitur, ut dubitari possit non modo ubi fuerit, sed num fuerit unquam ecclesia ista Anargyrorum*). Itaque numero 41 tantum abest ut situm eius ecclesiae significaverimus, ut locum semitae et portae qua ire solent qui nunc in arcem ascendunt definiverimus ut ne desit quo ista fabula referatur.

Lithographus Atheniensis supra theatrum Regillae longiusculum quoddam signum sine numero posuit, quo videri potest Turcarum templum indicari a Pittace l. l. commemoratum. Sed homo negligens nihil aliud fortasse expressit, et male expressit, nisi arcis aditum a Turcis munitum et firmatum, quam integram aedificationem in loco declivi factam videre licet in tabula Vernedae apud Fanellium p. 308.

N. 42.

Ἅγ. Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης.

Aedes sita fuit in ea parte Areopagi quae ad septemtriones spectat.

*) Narrationem vicinorum tametsi Pittaces in rem suam convertit, Aesculapio successisse et eius fundi tanquam heredes factos esse affirmans S. Anargyros artis medendi peritos, cf. n. 160, Ἀνάργυροι, not. *, suaeque opinioni plusculum videri potest largiri quam veritas concesserit, nescio tamen an aliud accedat, quod si non Anargyrorum aedem at aedem apud odeum Regillae fuisse confirmet. Etenim quum antiquum illud Herodis monumentum expurgarent, aediculae cuiusdam reliquiae invenerunt; cf. Ephemer. p. 1710. In loco declivi, si supra odeum sita fuit ecclesia quum dirueretur, fragmenta deorsum ferri poterant ut in theatri circuitu haererent. Atqui eam aediculam Anargyrorum fuisse non constat neque adducor ut aut famae isti hominum aut obscuris illis vestigiis multum tribuam.

Babinus, an. 1672, parietinas ibi esse scribit aediculae antiquissimae, varia imaginum pictura insignes; continentia et iuncta conspici fundamenta antiqua domus S. Dionysii Areopagitae, in quibus tunc aedes Archiepiscopi fuerint; puteum denique esse in propinquo, quo S. Paulum se abdidisse unumque diem delituisse opinio ferat: adversarios enim persecutos esse S. Paulum, quod Dionysii Areopagitae animum ad verum dei cultum convertisset. Cf. Labordii Athenarum I p. 192. — Eadem fere Guilletus, ib. p. 226 sq.; nisi quod addit, in aedicula S. Dionysii quamvis ruinosa sacra fieri eo die*) qui sit Dionysii sacer: qua in re fides fortasse habenda est Guilleto etsi quae descripsit non suis sed aliorum oculis vidit. — In P. Coronellii tabula adumbrata casa est adscriptaque haec leguntur: S. Dionisio, e Palazzo del Vesco.

Sponius, an. 1678, et ecclesiam collapsam S. Dionysii Areopagitae et Archiepiscopi Atheniensis domum in propinquo exstructam vidit eaque confirmat quae Babinus tradit; cf. Labordii Athen. II p. 17 not. 1. Idem scribit, ordinis Iesu hospitium (ante an. 1669) non procul abfuisse ab archiepiscopi domo**).

Anonymus, apud Fanellium p. 313, unus ex eo numero qui an. 1687 urbem adumbrarunt, in summo colle duorum aedificiorum eorumque incolumium formas ponit, subscriptis his verbis: Vescouado ò chiesa di S. Domenico. Nomen confinxit, ecclesia enim Dionysii fuit; rem servavit et bene illustravit***). — In tabula simili, quam in additamentis edidit Labordius, cf. p. 14 not., aut desunt aedificia illa aut expressa obscurius.

In Vernedae descriptione, eodem anno 1687 confecta, tria sunt signa, nominibus non additis, duo oblonga quatuor late-

---

*) Cf. p. 46.

**) Signum ab Lithographo Atheniensi in n. 96 (a nobis in n. 43) positum, magis exiguum est, quam quo ordinis Iesus hospitium credi possit denotari. Cf. p. 46.

***) Venetos, arcem obsidione cingentes, in radicibus Areopagi ad Archiepiscopi domum tormenta posuisse, Labordius II p. 140 sq. contendit. Quod unde cognoverit non liquet. Anonymus quidem, apud Fanellium p. 313, perspicue demonstrat non ad Episcopi sedem sed post Areopagum fuisse tormenta. Cf. n. 51, Δημήτριος.

ribus, unum sexangulum; illis, ut opinor, situs ecclesiae et domus definitur. Tertio num puteus significetur aliis quaerendum relinquo. Cf. Fanellii Athenar. Att. p. 317.

Monachus, cuius fragmenta*) Fallmerayerus et post eum Pittaces in Ephemer. p. 942 sqq. ediderunt, terrae motu conquassatas Athenas atque illa in Areopago aedificia labefactata et diruta esse tradit. Verba haec sunt: τῷ ἔτει τούτῳ μέγας σεισμὸς ἐγένετο, καὶ ἅπαντες οἱ οἶκοι ἐσείσθησαν, καὶ ἡ ἐκκλησία τοῦ Ἁγίου Διονυσίου εἰς δύο ἐσχίσθη, καὶ ὁ τοῦ Ἀρχιερέως οἶκος κλόνῳ μέγα καὶ λίθῳ ἐκ τοῦ Βράχου προσβληθεὶς τὸ ἀνώγειον ἐκρημνίσθη. Τοῦτο δὲ ἐγένετο τὸ ἑσπέρας τοῦ Ἁγίου Χαρίτωνος (d. 1 m. Iunii)· πολλοί τε οἶκοι τῆς τοῦ Σωτῆρος Νικοδήμου Μονῆς κατεκρημνίσθησαν, καὶ ἡ Βασιλικὴ ἐκκλησία**) ἐρράγη, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ εἰς τὴν Μητρόπολιν ὁ Δημήτριος***) κεραυνῷ βληθεὶς ἐτελεύτησεν, ἀφήσας ὀρφανὰ καὶ χή[ραν]; Eph. p. 944. Haec post an. 1651 scripta esse constat†). Coniectura tantum assequi licet, ut post captam a Venetis urbem, hoc est post an. 1687 scripta putemus, quia Veneti integram et incolumem Episcopi sedem adumbrant. Stuartus autem, an. 1751, „rudera“ ibi esse domus Episcopi quum primus scribat, sequitur ut ante annum 1751 terrae motu prolapsa

---

*) Manu scripta illa folia, S. Marci imagine insignita, Athenis se invenisse an. 1822 narrat.

**) Quae ecclesia dicatur, nescimus.

***) Demetrius Colocynthes Atheniensis (vide notam inseq.) dici videtur. Si p. 944 lin. 5 annus 1701 commemoratur, Demetrius, sub annum 1651 Constantinopolim profectus, tunc fuerit natu admodum grandis necesse est; etsi quid supplendum aut emendandum sit p. 944 lin. 5, mihi quidem non liquet.

†) Nam quae monachus tradit: ὁ Ἱερεὺς Δημήτριος Κολοκύνθης, Ἀθηναῖος, πορευθεὶς εἰς Κωνσταντινούπολιν πρὸς τὸν Πατριάρχην | Ἰωανίκιον ἔλαβε πατριαρχικὴν ἄδειαν νὰ κατασκευάσῃ εἰς τὰς Ἀθήνας Μοναστήριον τῶν Ἁγίων Ἀναργύρων, Ephem. p. 943 sq., pertinent ad epistolam Ioanicii Archiepiscopi d. 17 m. Iulii an. 1651 datam. Exstat epistola, edita ib. p. 945 sq. Quae autem deinceps narrat monachus, monasterium in ludum literarum conversum, Gerasimum mortuum, urbem terrae motu vastatam, eas res postea factas esse et ipse dicit, p. 944 ὕστερον, et narratio docet. — Annus p. 944 lin. 5 τῷ χιλιοστῷ [ἑπτακο]σιοστῷ πρώτῳ ἔτει incertus est propter lituram. Ratio temporum obstat quo minus suppletis literis quinque (cf. Pittacis not. l. l.) ἑξακοσιοστῷ scribatur.

sit*). — Haec tanta Atticae terrae conquassatio inter an. 1687 et 1751 facta etsi in annalibus physicorum non enumeratur, fides certe habenda est monacho**).

Stuartus, an. 1751, ut supra coepi dicere, in signis suis duobus paene continentibus adscripsit haec: „Dionysii Areopagitae et Palatii Episcopalis Rudera" ***).

Denique et domum et aedem sacram (imo parietinas eorum aedificiorum) Turca quidam, ut ait Pittaces in Ant. Athen. p. 444, demolitus caementa asportavit quibus templum Mohametanorum deo exstrueret, Τσιαμὶ τοῦ κάτω Συντριβάνι. Id saeculo XVIII videtur factum esse†). Sub annum 1835, quo anno Pittaces Antiquas Athenas in lucem edidit, vestigia quaedam ecclesiae fuerunt, cf. Pittac. l. l., fuisseque confirmant aequales, Schaubertus et Lithographi.

ΑΓ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ Schaubert.

85 Διονίϲυοϲ sic Lithogr. Monacensis.

95 Lithogr. Atheniensis. Is numerum 95 in signo amplo adscripsit; quod cum apicem habeat ad ortum solis vergentem, dubitari non potest quin ecclesiae situs definiatur. Li-

---

*) Etsi Fanellius p. 342 palatium Archiepiscopi (non parietinas palatii) commemorat, non testatur, tunc, an. 1707, aedificium integrum fuisse. Pittaces autem quod Fanellium advocat ut anno 1780 integram fuisse demonstret, mire hariolatur, quoniam Fanellii liber aliquot hominum aetatibus ante editus est. Cf. Pittacis Ant. Athen. p. 444. Quamquam dubito an in numero (1780) erraverit ut 1780 pro 1708 scriberet. Sin verus est annus 1780 aut inepte nominavit Fanellium aut non propter annum nominavit sed idcirco adhibuit ut qui legerent ex Fanellii libro rem discerent: quod vix tamen adducor ut credam. Apud Fanellium enim p. 342 quid tandem legitur nisi quod tritum et celebratum est?

**) Iulius Schmidtius Atheniensis, vir non solum coeli et siderum sed etiam physicorum peritissimus, per epistolam rogatus de ea re, rescripsit in catalogis annorum 1600—1800 non commemorari tantum terrae Atticae motum, quantum monachus tradat. Neque tamen rem a monacho traditam in dubitationem vocavit.

***) Quae inter arcem et Areopagum sunt duo signa, introrsum posita in declivi et convalle, quid sibi velint nescio, nisi forte disiecta aliquot fundamenta indicant. Unum de iis num puteum denotet, dubito.

†) Fuisse ibi anno 1780 domum Archiepiscopi Pittaces l. l. scribit: quae temporis significatio videri potest dubia esse, quod ad eam tuendam Fanellium advocat, qui anno 1707 scripsit. Vide notam *.

thographus Atheniensis, et si quis alius uno signo defunctus est, quamquam nescio an vituperandus propterea sit, quod urbem qualis anno 1820 fuisset pollicitus in indice, sapere ultra cupiverit atque in tabula posuerit quae anno 1820 eversa et paene nulla fuerunt nec ea ab aedibus integris et incolumibus distinxerit, tamen uno signo non sine causa, ut opinor, duo illa aedifica, ecclesiam S. Dionysii et domum sacerdotis, repraesentavit. Nam admodum vicina ea aedificia aut iuncta fuerunt, ut videre licet in Prospectu Athenarum (vide cap. II, 10) et Coronellii et Stuarti chartis. Cf. etiam quae ex Babini narratione supra, p. 43, exscripsimus.

Supra magnam illam ecclesiam, forma apicata significatam Lithographus Atheniensis in planitie rupis perexiguum signum sine apice posuit; quo signo et numero 96 = 43 nostrae tabulae, quid indicare voluerit nescimus. Diceremus S. Dionysii casam significari, nisi traditum esset in eius casae fundamentis palatium Archiepiscopi fuisse exstructum. Cf. p. 43.

Titulum n. 418 p. 453 Corp. Inscr. Gr. Cyriacus ait „Athenis in Areopago ad sedem Dionysii in quadam marmorea columna esse“. Atheniensium antiquitatibus Cyriacus operam dedit ineunte saeculo XVI p. Chr. Cf. Labordii Athen. I p. 7 not.

Encaeniorum dies sine dubio tertius m. Octobris, quem et Siberi Martyrologium et calendaria an. 1865 et 1866 indicant*).

N. 43.

Res ignota.

Diximus de hoc signo supra; cf. p. 43 not. **. Kohlmannus quoque se nescire fatetur, quid eo loco aedificii significare potuerit Lithographus Atheniensis, quem secuti nos posuimus, numero 43 pro Lithographi 96 substituto.

Idem quos gradus in Areopago excisos, mirum in modum — scalarum instar — adumbravit, in nostra tabula non imitati sumus, quod non ad orientem versus ab sede S. Dionysii, ubi posuit Lithographus, sed alibi esse ex tabula Leakei

*) Erroris arguendus scriptor nescio quis Martyrologii, allati a Fanellio p. 213, qui a. d. IV Non. i. e. diem quartum mensis tradit.

intelligitur. Istas autem scalas nescio an idcirco artifex pinxerit ut Pittaci, cf. Ant. Athen. p. 444, operam suam probaret*).

N. 44.

"Ατ. 'Αθανάσιος.

Sita est Athanasii aedes in Areopagi radicibus ad septemtriones vergentibus. Conspicitur a Theseo.

ΑΓ ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ Schaubert.

84 ἅτ. 'Αθανάσιος Lithogr. Monacensis.

96 Lithogr. Atheniensis.

Pittaces in Antiq. Athen. p. 442 repertum ibi esse dicit titulum: 'Απόλλωνι προστατηρίῳ colligitque, eius dei aram S. Athanasii loco fuisse**). Cui inscriptioni tametsi dubitari potest quantum tribuendum sit, quia praeter Pittacem nemo vidit, cf. Rangabis Antiq. II n. 1057 p. 752: tamen quod voluit ille non abhorret ab eo quod E. Curtio probatur, templum Apollinis in propinquo fuisse. Cf. Curtii Stud. Att. II, ubi in tabulae n. 3 templum Apollonis Patrii ponitur.

Caput VII.

Ecclesiae suburbanae ad occidentem versus sitae.

Paucas ecclesias hoc capite complectimur, propinquas omnes et paene urbanas, nec nostrum putamus ultra progredi ut olivetum comprehendamus in quo permultas aedes et aediculas sacras Christiani exstruxerunt***). Libet tamen narrare in Colono S. Eleusae aedem esse prope O. Mülleri et Lenor-

*) Quem adscripsit numerum 55 falsum esse apparet. In indice quem in tabulam Lithographi confeci n. 94 posui.

**) Praeter aram Pythia duo diversis locis fuisse statuit Pittaces, ut supra p. 21 exposui.

***) Paucos omnino titulos in oliveto repererunt raraque est mentio earum ecclesiarum. Apud aedem Prophetae Danielis in primo oliveto aliquot cippi inventi sunt, Ephemer. n. 2066 sqq. p. 1095 sq., et basis rotunda, ib. n. 2693 p. 1354; cf. Ross. Dem. p. 88 et 107.

manti sepulcra, S. Aemiliani autem in altero colle. Alias quasdam ecclesias, quarum in libris invenimus nomina, ubi fuerint nescii relegamus in notam *).

N. 45.

'Αγ. Τριάδα.

Aedes exigua neque tamen ignota praeteritur ab iis qui via Piraea in urbem pergunt, ita ut ad laevam sit. E regione fere est viae Mercurii initium.

Primus**) Stuartus, Antiq. III post p. VI, in tabula descripsit addito nomine S. Trinitatis.

ΑΓ ΤΡΙΑΔΑ Schaubert.

89 άγ. Τριάδα Lithogr. Monacens.

In Lithographi Atheniensis charta non est, nisi forte numero 131 demonstratur. Quo si metator Graecus S. Trinitatis aedem significare voluit, non recte dimensus est spatia. Propius enim ad urbem admovit quam debuit. Signum non appinxit, ut quaeri possit annon aliam rem, ut collem cinerum, eo numero indicaverit.

Pittaces, antiquam portam, Δίπυλον***), in propinquo fuisse iudicans, S. Trinitatis mentionem facit in Ant. Athen. capite quinto, p. 28. Itaque quae circa eam ecclesiam inventa aut effosa sunt, ad Dipylum, πλησίον τοῦ Διπύλου, dicuntur reperta esse. Qui ibi eruti sunt tituli paene omnes sunt sepulcrorum. Collegit Fr. Lenormantus in Monographia quam an. 1864 de Via Sacra conscripsit, p. 26—178.

---

*) Ioannis τοῦ Μοσκάτου aedes mea opinione non est quod pro urbana habeatur. Diximus de ea re p. 17 not. — S. Georgium Systramnem Athenis sedem habuisse ex iis intelligitur, quae in C. I. n. 853 p. 522 praefatus est editor ex Sponii libro. Nemo alius S. Georgium cognomine Systramnem commemoravit.

**) Anonymus Fanellianus S. Trinitatis ecclesiam nominat unam ex iis aedibus quas ad septentriones et orientem sitas in tabula expressit. Erravit in nomine. Cf. n. 171, "Αγ. 'Απόστολοι.

***) Ipsum autem eius portae situm nunc cinerum colle occupari Pittaces l. l. contendit. E. Curtius, Stud. Att. I p. 67, certo definiri posse negat. Denique Fr. Lenormantus l. l. p. 80, locis ibi scrutando an. 1863 exploratis effectum esse putat, ut ibi fuerit Dipylum, ubi quae nunc sint viae, Piraea et Eleusinia, secentur, in quadrivio post aedem S. Trinitatis.

Prope S. Trinitatis aedem an. 1861 et 1863 terra effossa est ibique quae comparuerunt antiquitatis monumenta asservantur, cippi, monumentum Dexilei, alia.

N. 46.

Στακτοθήκη sive τέφρα.

Collem cinerum, ab Lithographo Atheniensi fortasse omissum, signo quidem certe nullo indicatum, cf. p. 48, nos lineolis exprimimus in numero 46. Situs est inter S. Trinitatis ecclesiam et eum locum ubi Turcis regnantibus porta, Mora Kapesi sive Gyfto Porta, fuit.

Exaggeratos ibi cineres Pittaces Ant. Athen. p. 28 commemorat.

Nominatur τέφρα vel στακτοθήκη, illud nomen E. Curtius, in Stud. Attic. II tab. II, hoc G. Kohlmannus adscripsit.

N. 47.

Ἅγ. Ἀναστάσιος Κουρκοῦρι.

Manent parietinae, ab ecclesia S. Trinitatis ad meridiem versus spectantes.

S. Anastasii eam aedem fuisse primus testatur Anonymus Fanellianus, an. 1687. In Aldenhoveni (an. 1837) et E. Curtii tabulis idem nomen est. Quas quum facerent illi C. Kohlmannus, huic Strantzius, sine dubio ex hominibus Atheniensibus quaesiverunt didiceruntque, quod ipse quoque didici, aedem esse Anastasii.

Athanasii nomen Stuartus Antiq. III post p. VI, Schaubertus (ΑΘΑΝΑΣ ΚΟΥΡΚΟΥΡΙ), Pittaces Ant. Athen. p. 92 tradiderunt. Lithogr. Monacensis Schaubertum secutus scribit: 88 Ἀθανάς Κουρκοῦρι. Denique Ἀθανάσιος Κουρκούρης, gen. Κουρκούρη, est in libro Dionysii Surmelis, περὶ δήμων Ἀττικῆς, p. 163.

Lithographus Atheniensis nec signo Anastasii sedem definivit et numerum omisit *).

Nos praetulimus Anastasium Athanasio, quod, si Atha-

*) In exemplo autem, quod sequebatur, nescio an signum cum numero — fortasse 125 — fuerit. Id signi expressisset Lithographus, nisi eam partem chartae, marginem dextrum, adumbratis templis antiquorum Atheniensium replere maluisset.

nasii fuisset aedes, vix factum esset, ut pro hoc nomine illud substitueretur, quod perrarum apud Athenienses ecclesiae nomen est. Complures enim Athenis fuerunt aedes Athanasii sacrae, una 47 Anastasii, qua sublata nulla erit.

Etiam cognomen varie scribitur: Curcuri, Chulcuri, Chalcuri. Pittaces in Ant. Athen. p. 92, quum antiquum Chalcodontis*) nomen subesse cupiat, priorem, ac potiorem formam affert: Chalcuri, quum dicit: Chalcuri sive Curcuri. Qui idem vult, Rangabes **) alteram formam Curcuri omittit. In Ephemer. n. 3663 p. 1892 legitur Χουλκούρι, apud E. Curtium Att. Stud. II p. 27 Χαλκουρίου. Quum Curcuri certe non propter Chalcodontis illam cogitatam similitudinem detortum sit eaque cognominis forma etiam in Schauberti tabula reperiatur, Κουρκοῦρι scribendum esse duximus.

Quae ibi reperta est columna, Ephemer. n. 3663 p. 1892, ἐν τῷ Ἡρακλείῳ τῷ ἐν Κύκλῳ ἐν | Χολαργέων (l. l. lin. 8 et 9) ponenda erat. Editor in foro urbis antiquae fuisse censet, ἔν τινι κύκλῳ, separata aliqua in parte fori. (Cf. Bursiani Geogr. I p. 280.) Ἐν Χολαργέων, quae integra putat esse verba, partem fori Atheniensium interpretatur, in quam Cholargenses convenirea liquot in horas diei soliti sint. Itaque, quantum intelligo, quod verbis ἐν κύκλῳ significetur, idem significari verbis ἐν Χολαργέων existimat.

N. 48.
Ἁγ. Παρασκευή.

Fuit propter Nicolaum 49. Utrum in n. 48 an in n. 49 S. Parasceve fuerit non constat. Cf. n. 49 Ἅγ. Νικόλαος.

N. 49.
Ἅγ. Νικόλαος.

Aediculae vicinae S. Nicolai et S. Parasceves inter spe-

*) Illam cognominis originem veram esse negans Surmeles l. l. p. 163 sq. not. explicat aliter: ἐπειδὴ ἐπὶ τοῦ βράχου τούτου κεῖται πολὺ μικρὸν καὶ εὐτελὲς ἐκκλησίδιον Ἅγ. Ἀθανάσιος καλούμενον, τοῦτο ὠνομάσθη Κουρκούρης χυδαϊκῶς διὰ τὴν οὕτω κατάστασίν του. κουκουριάζει λέγει ἡ συνήθεια τὴν ὄρνιθα ἢ ἄλλο πτηνόν, ὅταν κάθηται περιεσταλμένον ἢ ἀπὸ ἀσθένειαν ἢ ἀπὸ πληγὴν πάσχον. Perdubia haec quoque ratio.

**) Nuove Memorie dell' Instituto p. 347.

culam astronomicam et ecclesiam S. Trinitatis 45 fuerunt, sitae ab Thesei templo ad occasum versus. Obscuras, quae nunc sunt, parietinas earum, inventu difficiles, Rangabes qua summa est humanitate prosecutus me in loca deserta demonstravit anno 1866. A sinistra parte Pittaces in Ant. Athen. p. 29 situm fuisse vult Pompeum antiquorum Atheniensium, cf. Pausan. Att. 2, 4, et quam Pompei loco conditam putat S. Parasceves aedem. Hunc nos secuti in n. 48 S. Parasceves nomen scripsimus, in n. 49 S. Nicolai, etsi Kohlmannus situs invertit, S. Parasceven in n. 49, S. Nicolaum in n. 48 fuisse ratus. Rangabes utra utri area assignanda esset se dubitare dicebat.

Ubi ea fundamenta nunc visuntur, ibi olim Piraeam portam fuisse credunt *).

Quae in Ephemer. n. 854 p. 517 commemoratur Nicolai aedes fortasse ea est quam in n. 48 posuimus.

Lithographus Atheniensis duos numeros 101 et 102 extra moenia posuit prope portam moenium recentiorum cui Aslán Kápesi s. portae Draconis **) nomen fuit. Quamquam signa non appinxit nec is verus situs est S. Parasceves et S. Nicolai, nescio tamen an eas aediculas numeris illis inter se propinquis designaverit. In situ autem definiendo ad orientem et meridiem aberravit ut aut minus gnarum eorum locorum fuisse aut propter res in margine laevo adumbratas non potuisse in vero situ ponere dicendum sit.

N. 50.

Ἀγ. Μαρῖνα.

Sita est in colle Nympharum, in quo summo specula astronomica conspicitur.

ΑΓ ΜΑΡΙΝΑ Schaubert.

Lithographi Monacens. et Athen. ***) omiserunt.

---

*) Rangabes, Nuove Memorie dell' Instituto p. 348; E. Curtius, Stud. Attic. I tab. II. Pittaces iam pridem viderat ibi fuisse portam Piraeam, Ant. Athen. l. l.

**) Cf. Leakei et Rienäckeri Tab. II.

***) In exemplo tamen, quod operae Athenienses videri possunt secutae esse, Marinae ecclesiam numero 103 significatam fuisse arbitror. Nam in serie numerorum desideratur n. 103, quem ut praeterirent aut

Pittaces, in Ant. Athen. p. 461, infantes, inquit, quum aegrotant, a matribus in aedem Marinae portantur et post peractam liturgiam positis vestimentis, quibus induti parvi sacris interfuerunt, novis vestimentis induuntur*).

Ad ecclesiam 50 etiam puellae nubiles adsunt, sponsum ut S. Marina paret sibi precantes, atque uxores vel partuum adiuvandorum vel sterilitatis prohibendae causa; in propinquo rupes illa est, per quam declivem quum repunt steriles deorsumque feruntur, vitio suo videntur levari**). Adeunt autem potissimum d. 17 m. Iulii, quo die S. Marinae panegyris celeberrima agitur.

N. 51.

Ἅγ. Δημήτριος Μπομπαρδάρης sive Λουμπαρδιάρης.

Aedes in radicibus Pnycis ad meridiem versus sita est e regione collis Musei ubi cryptae (cf. Stuarti tabulam in Antiq. III post p. VI) sunt.

In indice Comitis S. Felicis, an. 1687, scribitur: 8 Chiesa di San Demetrio libardieris. Apud Fanellium p. 317.

Ecclesiam Sancti Demetrii vocat Stuartus l. l.

ΑΓ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ Schaubert.

86 ἅγ. Δημήτριος Lithogr. Monacensis.

Lithographus Atheniensis Pnycem quidem significavit no-

---

negligentia factum est aut margine aliis rebus occupato. Cf. p. 49 nota.

*) Illos ritus his demum temporibus more receptos esse, quum antea in Panagiae Speliotissae 28 tutelam tradidissent parvulos, nec ante desertam eam Panagiae aedem matres cum infantibus adisse Marinam, minus probabile videtur, atque Pittaces quae l. l. narrat ita est persecutus, ut tunc — anno 1835 — obtinentem superstitionem cum antiquorum Atheniensium caerimoniis conferre non dubitaret. Idem in Ephemer. n. 3646 p. 1882 not. perinde disputat quasi consuetudo Marinae propter infantes colendae non sit a maioribus tradita neque exstiterit ante Panagiam 28 coli desitam. Quamquam in Ephemer. l. l. dubito an non prorsus neget, antea Marinam a matribus et infantibus alienam fuisse. Neque tamen id dicit quod meo quidem iudicio debebat dicere, convenisse antiquitus in aedem Marinae supplices matres et matronas cum infantibus, frequentiam supplicum deserta aede Panagiae 28 auctam, non tunc novatam esse.

**) Eadem superstitione in Aegypto homines quosdam imbutos esse scribit Minutolius, Itineris Ammoniaci p. 243.

menque „PNYX“ adscripsit*), sed Demetrii ecclesiam ponere oblitus est.

In Leakeanae Topographiae ab Rienäckero in nostram linguam conversae tabula II legitur Demetrius Lumbardharis; item in Forchhammeri Topogr., Stud. Kilonens. p. 336. Surmeles quoque, περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 164 not., τὸν ἅγιον Δημήτριον τὸν Λουμπαρδιάρην καλούμενον commemorat. Aliam cognominis formam Pittaces dat in Antiq. Athen. pagg. 446. 451. 469. Ibi scribitur Boumbardiari, Bombardiari. Μπομπαρδάρης sive λουμπαρδάρης est homo tormentorum peritus. Inde depravatum „libardieris“.

Attamen Comes S. Felix, vel potius Verneda**), centurio Venetus, peritissimus ille quidem tormentorum, satis bene meritus est de homine divino, tanquam arte animoque cum eo coniunctus. Nam qui cognomen corrupit — scripsit enim libardieris — idem rem non male illustravit, quum in recensu aedificiorum et locorum octavam, ut supra dixi, ecclesiam Demetrii, septima tormenta***) enumeravit. Tormentis igitur prope dispositis Demetrium apparet mirum illud cognomen invenisse. Sequitur ut ante aetatem Vernedae i. e. ante an. 1687 aut nullo aut alio cognomine insignis fuerit. Etenim ante an. 1687 tormentorum ordinem ibi fuisse non traditum aut verisimile est.

Apud Demetrium artis quoddam opus inventum esse videtur, in quo, adscriptis nominibus [Δ]ῆμος Ἀθηνᾶ Ἡρακλῆς,

---

*) Si non adscripsisset, dubius haereres, quid sibi vellet illud signum. Multo propius enim quam debuit ad urbem et moenia Turcica admovit. Cf. pagg. 49 not. et 51.

**) Cf. n. 173, Ἅγ. Ἰώαννης Κολώνα.

***) Quod in Comitis S. Felicis tabula signa ad numeros 7 et 8 pertinentia desunt, negligenter fecerunt operae neque tamen magnum detrimentum intulerunt. Nam continuatio reliquorum numerorum docet, n. 7 et 8 ab artifice apud Pnycem positos fuisse, si quidem signa 7 et 8 media inter 6 et 9 posuit. In n. 6 autem Philopappus, in n. 9 et 10 suggestum in Pnyce semicirculatum esse reperitur. Accedit quod etiam ex tabula Anonymi Fanelliani intelligitur, apud Pnycem anno 1687 fuisse tormenta. Cf. Fanellii Athen. Attic. p. 313. — Tabulam Comitis S. Felicis etsi emendatiorem se edidisse Ric. Chandlerus dicit in Itineris Graeci exordio, haec tamen menda vel potius omissa eadem sunt. (Tabulam in cap. VI Itineris inseruit, p. 25.)

Populus et Minerva et Hercules caelo expressi conspiciuntur, Ephemer. n. 298 p. 268. Nam Δῆμον πυκνίτην, Ar. Eq. 42, interpretatur Pittaces; Sanctus Demetrius igitur, propter cuius aedem marmor illud inventum esse dicit interpres, haud scio an apud Pnycem habitare dicendus sit, ut S. Demetrius Bombardares esse possit. Melite, quam urbis antiquae regionem ibi fuisse Pittaces*) et Forchhammerus iudicant, sacra Herculi instituta habuit. Cf. n. 171 Ἁγ. Ἀπόστολοι.

Turcis dominantibus loca circa S. Demetrium ἡ ἐνορία τοῦ Βοργιά vocabantur; cf. Ephemer. n. 298 p. 268.

Caput VIII.

Ecclesiae prope Ilissum sitae.

Hanc regionem nec Lithographus Atheniensis sua in tabula descripsit nec in nostra describimus: situm tamen cuiusque aedis, quoad eius facere poterimus, certis indiciis definiemus.

Una ecclesia S. Nicolai, in libro Stuarti commemorata, ignoratur in qua ripae parte fuerit**).

Ἁγ. Ἰωάννης εἰς ταῖς κολόνναις.

Ecclesiae intra columnas Olympiei olim exstructae, nunc eversae et sublatae memoriam Carreius et Sponius servaverunt, quorum ille in tabula eam pinxit ita positam in mediis columnis, quae sunt sedecim numero, ut ne unam quidem tangeret. Cf. Leakei Topogr. Ed. II p. 94 = p. 64 Baiter. Versionis, ubi ecclesiae nomen nescio an ex iis depromptum sit, quae Carreius in margine tabulae suae scripsit; vocatur ecclesia S. Ioannis ad columnas, σταῖς κολόνναις. — Idem nomen latinis literis exaratum apud Sponium est: Agios Ioannis

*) Quos eius regionis fines fuisse putaverit Pittaces diligenter et copiose exsequitur in Ephem. n. 2819 p. 1400; n. 3043 p. 1471.

**) In Stuarti Antiq. vol. III p. V editores aedem sacram S. Nicolai ad Ilissum sitam commemorant; quam nemo alius commemoravit, nedum in tabula quisquam descripserit.

eis tais colonnais. Cf. Labordii Athenarum vol. II p. 14 not. — S. Ioannis ibi fuisse aedem ii quoque putaverunt, qui Programma Societatis Arch. Athen. an. 1861 conscripserunt, cf. eius libri p. 22, confirmantque amici Athenienses.

Has auctores secuti negamus aedem sub columnis S. Georgii*) aut S. Nicolai**) aut S. Andreae***) fuisse istaque nomina ut traderentur errore factum putamus.

Nomine non addito Anonymus ap. Fanell. p. 313 in urbe adumbrata aediculam post columnas expressit, ad eum parietinarum angulum applicatam qui ad meridiem et orientem spectat †).

---

*) In indicis tabulae Sponianae numero 32 adscriptum legitur nomen S. Georgii sub columnis, quas esse Olympiei columnas ipsa tabula docet. At illo loco quem Lebordius exscripsit vol. II p. 14 ipsum Sponium habemus rei auctorem; tabulam autem cum indice ipsene fecerit an administro nescio cui mandaverit atque ut fere fit in emendando negligenter versatus sit, quarere licet propterea, quod urbs illa in tabula descripta indiceque explicata in Itinere non commemoratur a Sponio, ut seiuncta ea cura aut aliena fuisse videatur.

**) Absurde idem Sponius inducitur primum S. Ioanni Olympiei dans possessionem, deinde S. Georgio, denique S. Nicolao. Nam in Sponii scriptis legi dicitur: „Athenis in aedicula D. Nicolai sub columnis Hadriani" inventum esse titulum C. I. n. 491 p. 473. Atqui, quae sunt Olympiei columnae, Hadriani esse Sponius credidit. Cf. Labordii Athen. II p. 14. Ergo ad Sponium cum Sponio pugnantem tertius cum utroque pugnans Sponius accedit. Sed de loco ubi inventus sit titulus Fourmonto qui et ipse vidit, non convenit cum novo isto S. Nicolai patrono. „In hospitio Capucinorum" enim Fourmontus reperit. Perquam incertus igitur Olympiei possessor S. Nicolaus, cui quis tantum tribuat ut Sponium cum Carreio et doctis viris qui nunc Athenis sunt consentientem relinquat?

***) Andreae nomen traditur in Itinere Constantinopolitano, cf. Labordii Athen. I p. 263 quod versibus Franco-Gallicis scripsit dominus de Borderie an. 1537. Qui tametsi Olympieum non nominat, dubitari tamen non potest quam aedem dixerit. Nam quas columnas, magnas ex marmore, senas denas in longioribus lateribus, senas in brevioribus commemorat, plusculum largiens ille quidem ingenio et magniloquentiae quam rerum fidei, manifesto Olympiei parietinas significat. S. Andreae autem ibi fuisse ecclesiam non concedemus homini obscuro et poëtae.

†) Coronellius in diverso angulo aedificium posuit, quod ecclesiae dubito an simile videri possit. Eius hominis autem nulla auctoritas.

Ἅγ. Φράγκος.

In tabula P. Coronellii legitur: 36 Agios Pharancos, Cappella fabbricata dagli Acciaioli. Quae aedicula cis Ilissum adumbrata conspicitur e regione fere pontis et stadii.

Ἅγιος Φράγκος vulgaris appellatio est, praeter quam nomen ecclesiae fuisse oportet. Nihil autem traditur nominis*).

Σταυρομένος Πέτρος.

Aedis trans Ilissum sitae ad orientem versus ab stadio parietinas exiguas et obscuras Leakeus vidit. Cf. Leakei et Rienäckeri Topogr. p. 212. Huic prope aequalis Pittaces in Antiq. Athen. p. 195 pavimenti tessellati mentionem facit, quod nunc esse Petri Cruci Affixi, olim Dianae fuisse**).

Cognomen traditur Omagrádi***) ductum fortasse ab antiquo pagi nomine. Pausanias in Attic. 19, 7, διαβᾶσι δὲ τὸν Εἴλισσον, inquit, χωρίον Ἄγραι καλούμενον καὶ ναὸς Ἀγροτέρας ἐστὶν Ἀρτέμιδος.

In situ definiendo erratum est a Monacensibus urbis a Schauberto descriptae imitatoribus †).

---

*) Pantocratorem in lucanari pictum vidimus apud monachos coenobii Daphni, ubi sepulchra sunt ducum Franconicorum, qui, ut opinor, dei optimi maximi (τοῦ Παντοκράτορος) cultum induxerant. Itaque Francorum illa cis Ilissum exstructa ecclesia Pantocratoris sacra fuisse videri potest. Fuisse enim Athenis aedem eo nomine insignem auctor est Fourmontus, qui titulum C. I. n. 253 p. 363 Athenis super muro ecclesiae τοῦ Παντοκράτορος reperisse se in schedis dixit.

**) Etsi ii, a quibus Heldricus nuper sciscitatus est, Petrum Cruci Affixum non agnoverunt, praestabit tamen nomen ab Leakeo et Pittace traditum tenere. Quum esse illi negarunt, certe non negarunt fuisse.

***) Stuartus in Antiq. III post p. VI ecclesiae in tabula sua designatae haec adscripsit: templi Dianae Agroterae vestigia hodie Stauromenos Petros. In commentario, ib. p. V, ab Albanis Omógradi vocari editores dicunt; aliud quoque Petro Cruci Affixo vicinum aedificium simile nomen habere, Magrati. Apud Leakeum l. l. in tabula II regionis eius nomen Omagrádi reperitur, quam ita amplector sententiam, ut ab regione cognomen aedificio inditum putem, velut S. Apostoli ab ea urbis parte ubi sedem habent nonnunquam Σολάκοι vocantur. Cf. n. 109 p. 91, Ἅγ. Ἀπόστολοι Σολάκοι.

†) Scilicet isti Σταυρομένον Πέτρον prope Ioannis Chrysostomi aedem ponunt, ibi Petrum Cruci Affixum sedem habere aut habuisse nemo alius tradidit. In indice Monacensium ea ecclesia prima est nu-

Παναγία εἰς τὴν Πέτραν.

Templum Ionici ordinis trans Ilissum situm prope fontem Callirrhoën et insulam quum antiqui Athenienses Cereri et Proserpinae aut Triptolemo, cf. Pausan. Att. 14, 1, dedicassent, Christiani in aedem Beatae Virginis converterunt. Prioris saeculi anno uno et septuagesimo funditus deletum est. Cf. Labordii Athen. I p. 126 not.

Anonymus Viennensis § 7 haec habet: εἰς ἣν (Καλλιρρόην) λουόμενος ἀνήρχετο εἰς τέμενος τῆς Ἥρας λεγόμενον καὶ προσηύχετο (ὁ δούξ)· νῦν δὲ μετεποιήθη εἰς ναὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ὑπὸ τῶν εὐσεβῶν. Cf. Rossii Archaeologicorum vol. I p. 252 vel Labordii Athen. I p. 19. Quod eius ecclesiae traditum est aliud nomen *) falsum existimamus.

Babinus, an. 1672, desertam et derelictam ecclesiam esse dicit. Cf. Labordii Athen. I p. 205. Apparet igitur non propter sacra Romano ritu ibi facta iubente Marchione de Nointel, desertam esse. Babinus enim biennio ante scripsit, quam Marchio ille liturgiae in S. Virginis Saxanae aede habendae auctor fieret. Cf. Labord. l. l. p. 126 not.

Sponius, an. 1678, templum Cereri et Proserpinae olim dedicatum, tunc in ecclesiam conversum descripsit nomenque tradidit τῆς Παναγίας εἰς τὴν Πέτραν, latinis ille quidem literis usus. Cf. Labord. II p. 18, ubi scribitur: Panagia eis ten Petran. In tabellae Sponianae numero 35. est Templum Cereris; ib. II p. 26.

Postea immutata forma cognominis videtur. Apud Fanellium p. 337 est: Paneggia sic Petriotissa, apud Stuartum Antiq. III p. V in commentariis: Panagia et Petri **), quod

---

mero, et situ una omnium maxime ad orientem spectans. Praeclari tamen metatores vel potius imitatores ad occidentem versus aberrarunt, utpote qui non solum Ilissum transvolaverint sed transiluerint etiam moenia, immemores illi quidem legis Romuleae.

*) In Anonymi Labordiani commentario, qui ad Capucinorum tabulam urbis Athenarum pertinere videtur, cf. Labordii Athen. I p. 80, legimus ecclesiam S. Georgii esse intra columnas aedemque Cereris conditam. Sed obscuro eius commentarii scriptori, uni a pluribus dissentienti iisque locupletibus auctoribus, apparet nihil tribuendum esse.

**) Altero nomine, Petri, eam denotari aedem, de qua nunc commentamur, vel inde patet, quod Stuartiani libri editores l. l. dicunt,

nescio an mendum sit; correxeris: Panagia Petriti, quam cognominis formam Schaubertus et Pittaces praebent. In illius tabula est: ΠΕΤΡΙΤΗ ΝΑΟΣ, in huius Antiq. Athen. p. 188: sainte Marie Pétritée*).

'Αγ. Μαρῖνα.

Trans Ilissum Leakeus, in utriusque Edit. Topogr. tabula II, S. Marinae ecclesiam designavit, ab Olympieo ad meridiem versus, ubi Eucleae templum fuisse suspicatur.

Quod in Stuarti Antiq. III p. V scribitur nomen Hagiae Mariae falsum esse iudico, quia Graeci Christiani aedes matri Christi dedicatas non ita solent nominare. Sine dubio excidit litera n, ut sit Hagia Marina**).

Caput IX.

Ecclesiae prope monumentum Lysicratis et arcum Hadriani sitae.

N. 52.

Μοναστήριον τῶν Δυτικῶν.

Hospitium Capucinorum francogallicorum, monumento Lysicratis continens et iunctum, anno 1827 integrum fuisse Labordius, in Athen. I p. 76 not., auctor est, eo anno Athenas profectus. Erat autem tale aspectu quale ex tabula vetustiore (an. 1758 facta) expressum is edidit in Additamentis

---

aedificium, cui Petri nomen sit, a plerisque pro templo minorum mysteriorum haberi. Iidem cur Panagiam secreverint, non liquet, nisi forte praeter Panagiam Petriotissam aliam placet ad Ilissum fuisse Panagiam. Mihi quidem videri mendum esse in eis verbis, supra dixi.

*) Etenim Franco-Gallorum sermone Pittaces utitur; suo si usus esset Παναγίαν et non Mariam vocasset. Cf. quae sequuntur, 'Αγ. Μαρῖνα.

**) Error autem, ut fere fit, errorem genuit. Nam in tabula, ib. post p. VI, legitur: templum forsitan Panopis, nunc Sanctae Virginis Ecclesia. Quae ecclesia etsi apud Stuartum paullo propius abest ab Stadio, quam is locus Leakeanae tabulae, ubi Sanctae Marinae aedes est, tamen utrubique unum et eundem locum dici existimo.

libri sui. Supra portam insigne Francogalliae cernebatur tribus liliis conspicuum. Deleto monasterio nunc exemta Lysicratis aedicula est et tanquam veste exuta, quae dudum protexerat et ab hominum vi et temeritate defenderat. Quum Iesuitae pristinam sedem mutassent ex urbeque Athenis in insulam Euboeam an. 1668 migrassent, insequenti anno 1669 Simoni Capucino mandatum est ut emeret monumentum Lysicratis. Tunc igitur, posteaquam sibi eum fundum pararunt, conventum aedificarunt ac monumentum Lysicratis parietibus incluserunt, nisi forte ibi iam aedificatam ab Iesuitis demum possederunt. Cf. Labordii Athen. I p. 75.

Unum signum Schaubertus posuit, supra: ΜΟΝΑΣΤΗΡΙΟΝ ΤΩΝ ΔΥΤΙΚΩΝ, infra: Μ. ΛΥΣΙΚΡΑΤΟΥΣ scripsit.

Signum quadratum inscripto circulo ea tabula habet quae an. 1834 facta est. Circulo monumentum Lysicratis significatur.

Lithogr. Monacensis omisit.

20 Lithogr. Atheniensis. In numero 20 circulus est cinctus circo, quo signo quin monumentum Lysicratis indicetur dubitari non potest, quamquam Lithographus prope aedem Panagiae Dubergenae positum repraesentat.

Uno signo monumentum et conventus recte definiuntur, quoniam porta pariesque Capucinorum ipsum monumentum contingebat*).

Eius aedificii partem ecclesiam**) Capucinorum fuisse putandum est. Mentio eius in Pittacis Antiq. Athen. p. 169 fieri videtur***).

---

*) In Schedis Kohlmannianis male separantur duobus signis positis, ut in altero conventus sit Capucinorum in altero monumentum Lysicratis.

**) Aediculam Capucinorum Babinus commemoravit, apud Labordium I p. 192, negans alias tunc fuisse ecclesias quibus uti possent Franci; scilicet longe aberat aedes ab Acciajuolis ad Ilissum exstructa, cf. p. 56, Ἅγ. Φράγκος.

***) L. l. Pittaces propter (à côté de) monumentum Lysicratis esse dicit. Quae ibid. p. 171 nominatur ecclesia Panagiae Candili 54, quum via tripodum separetur a monumento Lysicratis, vix dici potuit propter monumentum esse. Accedit quod ita commemoratur ut non antea commemorata esse videatur. „Prope (près de) id monumentum" inquit Pittaces „reperitur ecclesia cui Panagiae Candili nomen est." Quam-

Tituli non pauci in hac parte urbis reperti sunt. Quem „in Gallico Athenis monasterio" viderunt C. I. n. 141 p. 196 aliunde constat importatum esse, primo autem in arce fuisse. — Ad chororum victorias qui pertinent, Ephem. n. 2660 p. 1321 et n. 3037 p. 1470 eodem quo positi fuerunt loco mansisse videri possunt ut monumentum Lysicratis choragi victoris mansit ubi exstructum est.

De aliis inscriptionibus non facilis est iudicatio, sintne aliunde illatae longiusque petitae an manserint sive ibidem effossae sive ex propinquo sumptae. Minervae caerimoniarum mentio est in C. I. n. 491 p. 473: ἕτερον ἕδο[ϲ] τῆϲ Παλλάδοϲ καταϲκευάϲαϲθαι*), et in Ephemer. n. 2257 p. 1168, quae basis apud Panagiam 54 reperta est. Vesta et Apollo et dii Augusti commemorantur in titulo illo quem in nota *** p. 59 sq. citavi, Corporis Inscr. Gr. n. 480. In C. I. n. 510 p. 476 legitur Ἀϲκληπίῳ καὶ Ὑ[γείᾳ]. — Quae monumenta antiqua in muros Capucinorum inserta si quis dicat undique conquisita et comportata esse saeculo XVII, vereor ut refutari queat neque multum redundaturum esse existimo, quo utare ad antiquorum locorum situs definiendos.

N. 53.

Ἅγ. Δημήτριοϲ Παρακλῆϲι.

Aedes, cuius maior pars Demetrio minor Annae dedicata est, non multum distat a monumento Lysicratis.

Cognomen Παρακλῆϲι, decurtata forma, deminutivum esse puto. Παρακλήϲιον aediculam interpretantur **).

---

quam tanta est locorum propinquitas, ut non mirere, si qui titulus et ad conventum Capucinorum et propter aedem Panagiae 54 repertus esse traditur. Cf. C. I. n. 480 p. 469 = Pitt. A. A. p. 172.

*) Cf. notam ** p. 55, ubi de loco non convenire auctoribus nostris diximus, eundem lapidem sub Olympiei columnis et in Capucinorum conventu fuisse tradentibus, sub columnis an. 1678, in conventu aetate Fourmonti. Dicamusne aedicula sub columnis deleta insertum esse lapidem a Capucinis aliquam monasterii partem reficientibus? exstructum enim erat iam an. 1669. Sed dubito transigere et conciliare, praesertim quia erratum est in nomine; cf. notam l. l.

**) Malim παροικοδόμημα interpretari, accessionem adiunctam aedi Annae; nam id membrum aedificii quod Annae dedicarunt mihi quidem visum est vetustius esse, ut Demetrius tanquam inquilinus accesserit. —

N. 54.

Ἁγ. Κυρὰ Κανδῆλι.

Ab monumento Lysicratis prope quidem abfuit aedes sed oblique interposita via quam ὁδὸν τριπόδων nuper nominaverunt, ut memoriam antiquae viae tripodum redintegrarent.

ΚΥΡΑ ΚΑΝΔΙΛ Schaubert.

9 ἁγ. Κύρα Κανδύλι sic Lithogr. Monacensis.

34 Lithogr. Atheniensis.

Pittaces in Ant. Athen. p. 172 not. Sanctam Dominam, τὴν ἁγίαν Κυράν, vulgo ait appellari, quod nomen etiam alii Panagiae imponitur; cf. n. 106, Εἰσόδια τῆς Κυρᾶς. Ipse Panagiam Candili vocat in Ant. Athen. p. 171. Cf. Ephemer. n. 2256 sqq. p. 1168: καὶ εὑρέθη τὸ 1848 Ἀπριλίου 7 εἰς τὸν τοῖχον τῆς καταδαφισθείσης ἐκκλησίας καλουμένης Παναγία Κανδήλη (imo Κανδῆλι i. e. κανδήλιον), ὅτε μετεκόμισαν τὴν ὕλην αὐτῆς διὰ τὴν κατασκευὴν τῆς δημοτικῆς ἐκκλησίας τῆς Εὐαγγελιστρίας. Quum anno 1843 Evangelistriae fundamenta iacta esse constet, post eum annum aedem Sanctae Dominae everti coeptam et deleri existimandum est.

In titulo C. I. n. 480 p. 469, quem prope eam ecclesiam*) repererunt, Vestae mentio est: cui quasi testimonio tantum tribuit Pittaces Ant. Athen. in p. 152, ut Dominae Lucernarum contendat Vestam vel Dianam Luciferam, φωσφόρον subesse. Sed Christiani Graeci saepe ante lucem sacra faciunt atque frequens est usus lucernarum et candelarum, ut ad cognomen Candelae explicandum non opus sit caerimonias deae nescio cuius luciferae adhibere.

Quum anno 1866 aedem Demetrii et Annae, vel potius Annae et Demetrii, viserem, in ea parte, quae Annae sacra est, elogium recentiore aetate scriptum in lapide inveni. Crucis signum insculptum erat subiecta figura avis monstruosae, magnis unguibus, capite deformi, ut in mentem veniret βρουκόλακας, cuius irae averruncandae causa dubitabam an mira illa species incisa esset. Cf. Curtii Wachsmuth antiquam et recent. Graeciam Bonnae an. 1864 editam. Is in p. 114 sq. de hoc genere superstitionis disputavit. Nescio tamen an quae videbatur larva esse non fuerit, artifice peccante neque assequente id quod volebat.

*) Cf. p. 60, Μοναστήριον τῶν Δυτικῶν.

N. 55. **Antiqua quaedam via (?).**
N. 56. **Res incerta aut falsa.**

Numeros 55 et 56 ibi posuimus ubi in Lithographi Atheniensis tabula n. 38 et 39 sunt. Quorum altero, n. 38 = 55 nostrae tabulae, nescimus an ductum antiquae viae tripodum Lithographus significaverit Pittacis iussu, quamquam miramur cur non iteraverit eum numerum, 21, quo aliam partem viae tripodum videtur denotasse*). Alter autem numerus 39 = 56 nostrae tabulae, ut ibi poneretur, prope Asomatum, errore**) factum esse credimus: noluimus tamen tollere, si quis forte indicare potest, quid ibi fuerit.

N. 57.

"Αγ. Ἀςώματος.

Sita fuit S. Asomati aedes inter vias duas, quarum altera ὁδὸς Κυδαθηναίας, altera ὁδὸς Ἀφροδίτης nominatur.

ΑΓ ΑΣΩΜΑΤΟΣ Schaubert.

8 ἅγ. Ἀςώματος Lithogr. Monacensis.

37 Lithogr. Atheniensis.

In tabula nostra non plane eum expressimus quem lithographus Atheniensis definivit situm aedis S. Asomati. Ut ad Nicolai 57 ecclesiam propius admoveremus auctor fuit Georgius Kohlmannus.

N. 58.

"Αγ. Νικόλαος τοῦ Κοντίτου.

Propter viam Cydathenaeam, quae nunc vocatur, sita fuit Nicolai ecclesia, in trivio prope S. Asomati sedem.

ΝΙΚΟΛΑΟΣ ΤΟΥ ΚΟΝΤΙΤΟΥ Schaubert.

Omisit lithogr. Monacensis.

---

*) Cf. p. 27 n. 25. Quae nunc ὁδὸς τριπόδων nominatur via eos certe situs tangit ubi n. 25 et n. 55 sunt. Anno 1835 sq., viarum nominibus nondum publice inscriptis, viri docti non dubitabant quin ibi antiqua via tripodum fuisset.

**) Numero 39 subesse putamus molae oleariae situm prave definitum. Nam monumentum Lysicratis quoniam ad septemtriones versus promovit Lithographus ac prope Panagiae Dubergenae ecclesiam collocavit, quae falsa est collocatio, idem peccasse videri potest in situ molae oleariae, quam nostrae tabulae in numero 66 significavimus. — Cf. p. 66, Mola olearia.

46 Lithogr. Atheniensis.

Cognomine aquae ductum significari atque in propinquo receptaculum aquae fuisse dicunt.

N. 59.

Πλάκα, regio urbis.

Regio urbis quae Placa vulgo vocatur viam Cydathenaeam utrimque tangit lateque patet*). Nomen ἡ πλάκα appellativum est quo planities significatur. Subest vox antiqua: ἡ πλάξ.

Numerum 59 ter positum praeivit Lithographus Atheniensis, quum eadem loca tria repetito numero suo 48 notavit. Inter signa ecclesiarum Panagiae Misosporetissae et Nicolai legitur literis latinis: KYDATHINEA, quam ab homine Graeco profectam esse scriptionem intelligitur ex syllaba tertia. Pittaces antiquum pagum Cydathenaeorum ibi fuisse ratus, cf. Ant. Athen. p. 480, artificem ut opinor id nominis iussit addere.

Raro Placa in Ephemeridibus Arch. commemoratur. Unum locum enotavi n. 575 p. 418. — Accedit Philistoris I p. 328, ubi κατὰ τὴν Πλάκα scribitur.

N. 60.

Ἅγ. Ἰωάννης Χρυςόςτομος.

Aedes in extrema urbe sita fuit ad meridiem et orientem versus, prope recentiora moenia, cf. p. 67, Turcis dominantibus condita.

ΑΓ ΙΩΑΝΝΗΣ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΣ Schaubert.

2 ἅγ. Ἰωάννης Χρυςόςτομος Lithogr. Monacens.

45 Lithogr. Atheniensis.

Pittaces in Ant. Athen. p. 478 aedem S. Ioannis commemorat ubi quos l. l. recenset titulos repertos esse scribit. Eam S. Ioannis Chrysostomi 60 ecclesiam esse inde apparet quod

*) Coeli quidem regiones Pittaces in Ant. Athen. p. 473 negligentius indicasse existimandus est. Domus autem Paparicopuli Atheniensis, cuius ibid. mentio est, in tabula urbis an. 1834 facta invenitur, posita ad semitam Chrysostomi, media inter ecclesias 58 et 60 sita. Paparicopuli nomen inscriptum est. — Idem in p. 482 ita disputat quasi ecclesia S. Dynamis in regione Placa fuerit.

p. 475 „Sautiras Cotaci“ i. e. Cωτὴρ Κοτάκη 70 nominatur, regio autem quae describitur Placa est, cf. ib. p. 480.

N. 61.

῞Αγ. Cωτήρ.

Exigua, ut videtur, aedes prope ecclesiam Ioannis Chrysostomi 60 fuit, interposito tramite cui nunc nomen est ὁδὸϲ Ἀϲτερίου.

ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.

3 ἅγ. Cωτήρ Lithogr. Monacensis.

44 Lithogr. Atheniensis.

N. 62.

῞Αγ. Ἀθανάϲιοϲ.

Athanasii ecclesia, exiguo signo denotata in tabulis, prope fuit aedem S. Antonii.

ΑΓ ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ Schaubert.

5 ἅγ. Ἀθανάϲιοϲ Lithogr. Monacensis.

41 Lithogr. Atheniensis.

N. 63.

῞Αγ. Ἀντώνιοϲ.

Fuit inter Aecaterines ecclesiam et arcum Hadriani, propius aediculam Athanasii. Una nunc Aecaterine superstes. Fr. Schmidtius praefectus horti regii in area ubi sedes erat S. Antonii domum sibi exstruxit ibique habitat. Eius uxor ortu Graeca S. Antonii a marito suo expulsi iram verita aediculam condere volebat et Antonio dedicare placandi numinis causa, neque tamen condidit. Filium autem — μοῦνον, τηλύγετον Antonium parentes nominaverunt.

ΑΓ ΑΝΤΩΝΙΟΣ Schaubert.

6 ἅγ. Ἀντώνιοϲ Lithogr. Monacensis.

40 Lithogr. Atheniensis.

Decem abhinc annis manserunt parietinae. Nam anno 1856 Pittaces in Ephemer. 2789 p. 1392 haec scripsit: ηὗρον αὐτὴν (τὴν ἐπιτύμβιον ϲτήλην) εἰϲ τὸ βόρειον μέροϲ τοῦ τόξου τοῦ Ἁδριανοῦ εἰϲ τὰ ἐρείπια τῆϲ ἐκκληϲίαϲ τοῦ Ἁγ. Ἀντωνίου.

Ad aedem S. Antonii Cyriacus magnam illam ex marmore columnam fuisse auctor est, in qua inscriptus titulus:

τὸν μέγιστον Αὐτοκράτορα Ἀδριανόν κ. τ. λ., Corp. Inscr. Gr. n. 339 p. 414. Editor Cyriaci indicem mendosum esse ratus „ad aedem Antonii — immo“, inquit, „Hadriani, Olympieum“. Sed Antonii aedem paucis passibus ab Hadriani arcu distantem recte nominavit Cyriacus.

N. 64.

Arcus Hadriani.

Numero 64 nos arcum Hadriani notavimus, Lithographus Atheniensis n. 43 adscripsit. In situ autem eius monumenti definiendo ad septemtriones aberravit, quod mendum correximus signo arcus e regione viae Hadriani posito.

Pittaces in Ant. Athen. p. 174 ad arcum quondam applicatam fuisse ecclesiam scribit*), cuius nunc quidem certe ex animis hominum plane effluxit memoria.

N. 65.

Ἁγ. Αἰκατερίνη.

Sita est inter areas aedium, nunc deletarum, S. Athanasii et S. Dominae Candelarum, non procul ab ultima via Hadriani.

ΑΙ ΑΙΚΑΤΕΡΙΝΗ Schaubert.

7 ἁγ. Αἰκατερίνη Lithogr. Monacensis.

35 Lithogr. Atheniensis.

Schauberti scriptionem nominis veram esse ex fastis intelligitur ubi ad diem 25 mensis Novembris adscripta haec sunt: Αἰκατερίνης Μεγαλομάρτυρος καὶ Μερκουρίου Μάρτ.

Male Lithographus Atheniensis aedificii signum propter ecclesiam Aecaterines posuit, ubi apertum locum fuisse tabula an. 1834 facta demonstrat. Eius loci figura quadrata Lithographum in errorem fortasse induxit. — Kohlmannus per literas interrogatus negat ibi unquam quidquam fuisse aedificii.

In propinquo est puteus Sinaïti, situs ad viam versus quae nominatur ὁδὸς Ἀφροδίτης.

---

*) Apud Lithographum Atheniensem quum in ordine numerorum desit n. 42, suspicari licet, numero 42 ad arcum Hadriani adscripto illam ecclesiam significari oportuisse.

N. 66.

Mola olearia.

Aedificii siti quondam ad ultimam Hadriani viam, nunc deleti, fundamenta antiqua fuerunt. Cf. Leakei et Rienäckeri Topogr. p. 204 et tabul. II.

Cf. nostram notam ** in p. 62, ubi suspicati sumus molam oleariam male positam esse a Lithographo Atheniensi in tabulae n. 39 = 56 nostrae tab.

N. 67.

Ἅγ. Παντελεήμων.

In urbis parte ad meridiem vergente sita fuit aedes Panteleemonis, non procul a porta Albana sive Inté Kápesi.

ΑΓ ΠΑΝΤΕΛΕΗΜΩΝ Schaubert.

11 ἅγ. Παντελεήμων Lithogr. Monacensis.

33 Lithogr. Atheniensis.

Caput X.

S. Nicodemi ecclesia et quae e regione sitae sunt aut fuerunt aedes.

N. 68 et 69.

Ἅγ. Νικόδημος; Κελλίον.

Ecclesia pulchritudine insignis in ea parte urbis sita est quae ad orientem spectat. Via nova et ampla propter Nicodemi aedem facta ὁδὸς τῶν Φιλελλήνων nominatur; quae e regione est, via Nicodemi, in inferiora urbis fert.

In Sponianae tabulae (an. 1678) numero 43 est Ecclesia „Sotira Lycodimou“, apud Labordium in Athen. II p. 26. Cf. C. I. n. 466 p. 466, quem titulum „Athenis prope ecclesiam Sotirae *) Lycodemon, in regione veteris Lycei“ reperit Fauvelius.

Si Comes S. Felix, an. 1687, in tabulae suae litera K, apud Fanellium p. 317, S. Nicodemi ecclesiam designaverit,

*) De forma cf. p. 69.

situm ecclesiae prave definivisse*) dicendus erit. Qui indicem adscripsit in margine, literam K explicare oblitus est.

Qui an. 1687 prospectum Athenarum fecit, editum in libri Labordiani Additamentis, cf. Labordii Athen. II p. 150 not. 2, ecclesiae S. Nicodemi minusculam effigiem posuit, litera G denotatam; in qua litera Lyceum Aristotelis esse, dicitur in margine („G Liceo di Aristotile"). — Eandem rem in Anonymi Fanelliani tabula habes, apud Fanellium p. 313, ubi ecclesiae subscriptum legitur nomen S. Salvatoris („S: Saluatore").

Ex Sponii et Venetorum tabulis intelligitur ecclesiam 68 tunc extra moenia fuisse. Recentiores intra collocant; nimirum Chasecés, praetor Turcarum, an. 1778 novis muris saepsit Athenas.

Monasterium S. Salvatoris Nicodemi commemorat monachus Atheniensis, cuius edita sunt fragmenta in Ephemer. p. 944; πολλοί τε, inquit, οἶκοι τῆϲ τοῦ Ϲωτῆροϲ Νικοδήμου Μονῆϲ κατεκρημνίϲθηϲαν. Integra verba vide in p. 44, Ἅγ. Διονύϲιοϲ Ἀρεοπαγίτηϲ.

Schaubertus et imitator Monacensis omiserunt. — Lithographus Atheniensis, quem nos sequimur, duo in pomoerio signa posuit, maius alterum apice ad orientem vergente, alterum minus apice nullo. Quorum illud, adscripto n. 25 (imo 52) ecclesiam S. Nicodemi denotat, nostrae tabulae in n. 68 expressum; haec accessio est, ab ipsa aede separata, ubi sacerdotes, psaltae, aliique ministri habitant**). — Uno signo defunctus est, qui an. 1834 urbem in tabula descripsit.

Couchardus architectus, in Delectu Byz. ecclesiarum Graeciae, aedificationem illustravit tabulis XI, XII, XIII. Atque maximis ille laudibus effert tholi amplitudinem, membrorum concinnitatem, ornamentorum pulchritudinem, quamquam quo tempore Couchardus scripsit, ruinosa fuit aedes S. Nicodemi. Tunc autem non solum pulcherrima sed etiam maxima erat ecclesiarum Atheniensium, nova metropoli nondum exstructa. Postea Russi emerunt et annis, ut opinor, 1852—1856***),

---

*) Etenim propter portam Poponistranam posita est litera K.

**) Vocant κελλία, cf. Ephemer. p. 946, quae nihil differunt a domibus hominum privatorum.

***) In schedis nuper ad me missis Heldricus an. 1853 edit, quo fere anno coeperunt exaedificare.

cf. Ephemer. p. 1449, renovarunt atque exornarunt. In tabula urbis, quam his paucis annis Calerges fecit, ἐκκλησία Ῥωσσική vocatur, in litera v.

Ceteris ecclesiis antiquiorem esse Russicam Surmeles p. 26 suspicatur disputatque ita quasi ab Eudocia, Theodosii minoris coniuge (an. 424—460*) condita sit. Quod etsi in medio relinquendum esse videtur, memoria tamen dignum est, annis 1852 sqq. cryptam repertam esse, aede quae nunc est vetustiorem. Forma eius ita differt ab aede S. Nicodemi ut non possit pro fundamento haberi. Cf. Ephemer. post p. 1458. Quare etiamsi non concesseris aedem Nicodemi qualis nunc sit ab Eudocia conditam esse, perantiquo tamen tempore constructa videtur pars subterranea.

In parietibus S. Nicodemi non pauca elogia leguntur in quibus Christianorum nomina sunt et tempora; Ephemer. p. 936 sq. Antiquissimo in titulo, n. 1589, quum legatur ἐνταῦ[θα] κεῖ[ται] Στέφανος ὁ πρωτοκτίτωρ, is autem mortuus sit an. mundi 6553 = 1045 p. Chr. editor saeculo p. Chr. XI conditam aedem esse existimat, et conditam ab Stephano.

Nomen τοῦ Σωτῆρος, non addito cognomine τοῦ Νικοδήμου s. Λυκοδήμου**), Pittaces perraro, Ephemer. n. 1896 p. 1024, addito cognomine τοῦ Σωτῆρος Νικοδήμου s. Λυκοδήμου, quod sciam, nunquam imponit. Plerumque Nicodemi s. Lycodemi ecclesiam appellat ut eo nomine magis quam cognomine utatur. Item G. Kohlmannus. Itaque nos quoque supra, indicem huius paragraphi scripsimus: Ἁγ. Νικόδημος.

Olim in locis circa S. Nicodemum Lyceum fuisse quum alia vestigia demonstrant tum inscriptio prope inventa confirmat, C. I. n. 466 p. 466 = Ephemer. n. 1590 p. 937, ubi ἐπιμελητὴς Λυκείου Ἀπόλλωνος commemoratur. Ita fit ut Pittaces loca significans ubi reperti sint tituli aut Lyceum aut Nicodemum aut utrumque nominet.

---

*) Gibbon V p. 482 Versionis Viennensis. Duodecim ecclesiae sumtu et iussu Eudociae aut certe aetate eius aedificatae esse dicuntur. Cf. n. 152, Ἁγ. Γεώργιος Καρύτσις.

**) Cognomen vulgo pronunciatur Λυκοδήμου, qui elegantius et emendatius loquuntur Νικοδήμου dicunt. Cf. Ephemer. p. 1449 not. Errore natam esse formam Λυκοδήμου Heldricus iudicat.

N. 70.

Ἁγ. Cωτὴρ Κοτάκη.

Propter vias Cydathenaeae et Codri *) sita est S. Servatoris Cotaci aedes, in qua Russi sacra faciebant, antequam S. Nicodemi ecclesiam emerent et exaedificarent h. e. ante an. 1852. Quod an. 1854 Pittaces dirutam fuisse scribit **), ita explicari potest, ut Russos suspicemur materiam inde sumsisse, qua ad reficiendam ecclesiam S. Nicodemi tunc ruinosam uterentur itaque factum esse ut aedem 70 exaugurarent, dissiparent, demolirentur, quoad Graeci renovarent ***). Anno 1866 eam vidi sartam tectam integramque esse. Utriusque aedis dies encaeniorum sextus m. Augusti esse videtur, ἡ μεταμόρφωcιc τοῦ Κυρίου καὶ Cωτῆροc ἡμῶν Ἰηcοῦ Χριcτοῦ †).

ΑΓ ΣΩΤΗΡ ΚΟΤΑΚΗ Schaubert.

4 ἅγ. Cωτὴρ Κοτάκη Lithogr. Monacensis.

50 Lithogr. Athen. — Numerus fuit 50, legitur 050.

Forma feminina τῆc cωτήραc s. cωτείραc Κατάκη (imo Κοτάκη) falsa est. Excogitasse videtur Fourmontus, quem secutus editor Corporis Inscr. Gr. in n. 80 p. 119; n. 293 p. 401; n. 660 p. 503 = Ephem. n. 1711 p. 987 S. Servatricem induxit. Omnino etiam Cωτῆρα dicitur ut in Ephemer. n. 1711 p. 987: εἰc τὸν τοῖχον τῆc ἐκκληcίαc Cωτῆρα Κοτάκη; sed is genitivus est, quia vulgo hoc modo declinant ὁ cωτῆραc, τοῦ cωτῆρα, ut ὁ ἄρχονταc, τοῦ ἄρχοντα. Cf. Angeli Vlachi Grammat. p. 15.

N. 71.

Ἅγ. Ἀνάργυροι.

Aedes fuit prope compita viarum quae nominantur ὁδὸc Ὑπερείδου et ὁδὸc Cωτῆροc.

---

*) Ante imposita nova nomina tramitem non longe remotum ab ecclesia 70 ὁδὸν τοῦ Cωτῆροc vocari solitum esse existimo. Nunc quoque is trames ita appellatur, nomine, ut opinor, non excogitato sed servato.

**) Ephem. n. 2268 p. 1176: εἰc τὴν κατακρημνηcθεῖcαν ἐκκληcίαν Cωτῆροc Κοτάκη.

***) In schedis proxime commissis Heldricus confirmat, aedem n. 70 ab Russis desertam rursus Graecos possedisse, amplificasse, renovasse.

†) In aede 70 eum diem festum agi ex vicinis comperi.

ΑΓ ΑΝΑΡΓΥΡΙΩ Schaubertus. Non dubito quin scripserit ΑΓ ΑΝΑΡΓΥΡΟΙ.

Omisit Lithogr. Monacensis.

49 Lithogr. Atheniensis.

N. 72.

Παναγία Μισοσπορήτισσα.

Sita fuit in trivio eius regionis quam Placam appellant. Via Hyperidis aliam ibi semitam contingit.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΜΙΣΟΣΠΟΥΡΙΩΤΙΣΣΑ Schaubertus. Signum aedis erasum est.

Omisit Lithogr. Monacensis.

47 Lithogr. Atheniensis.

Cognomen ad tempus anni spectat. Nam festum diem Panagiae Misosporetissae tunc agebant, quum maxime fruges seruntur aut iam satae sunt aut mox futurum est ut serantur. Voce Μισοσπορήτισσα media sementis significatur; μισοσαράκοστον sive μεσοσαράκοστον. Itaque celebrabatur d. 21 m. Novembris, quo tempore anni sementem faciunt.

Schauberti scriptionem ΜΙΣΟΣΠΟΥΡΙΩΤΙΣΣΑ veram esse negans Kohlmannus iubet pronunciari Misosporítissa; quod graece Μισοσπορήτισσα scribendum duxi.

Ab aede τοῦ Σωτῆρος Κοτάκη 70 ad occasum versus Pittaces in Antiq. Athen. p. 475 dicit sitam esse ecclesiam quae Alexana nominetur. Dubito an aliud nomen sit Panagiae Misosporetissae, cuius situs fere is est, quem Pittaces l. l. definit. Quod cognomen — sive id nomen fuit — commemoravit nemo nisi Pittaces, qui Iovis Alexeterii templum ibi olim fuisse suspicatus, suam coniecturam firmare cuperet Alexanae nomine. Nolo tamen credere effictum et excogitatum esse.

N. 73.

Παναγία Δουβέργενα.

Inter aedem Nicolai Rangabá et Panagiae Misosporetissae sita fuit, propter viam quae ὁδὸς τοῦ Σχολείου nominatur. Locus non procul abest ab Hadriani via.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΔΟΥΒΕΡΓΙΝΑ Schaubert. Signum desideratur.

20 Παναγία Δουβέργενα Lithogr. Monacensis.

19 Lithogr. Atheniensis.

„Dubergena“ rectius a Lithogr. Mon. scriptum esse quam a Schauberto „Dubergina“ Kohlmannus et Pittaces consentiunt. Ille in indice latinis literis Dubérgena, graece hic in Ephemer. n. 821 p. 509 εὑρέθη (τὸ βάθρον), inquit, εἰς τὰ ἐρείπια κατασκαφείσης ἐκκλησίας Παναγία Δουβέργενα, quae verba scripta sunt an. 1842.

In basi, quam ibi repertam esse dicit editor Ephemer. l. l., haec leguntur: τὴν θυγατέρα ἀνέθηκεν Χρυσίππην Εἰλυθείᾳ.

N. 74.

Ἅγ. Ἰωάννης ὁ Θεολόγος.

Ecclesia sita est in radicibus arcis ad septemtriones et orientem spectantibus, prope ab aede Anargyrorum 5. Supra est area ubi quondam Panagia (Βλαστική) fuit; nunc ibi consistere licet, si quis ecclesiam S. Ioannis Theologi despicere cupit subiectam.

ΑΓ ΜΑΡΙΝΗΣ Schaubertus. Nomen falsum *).

25 ἅγ. Ἰωάνης Lithogr. Monacensis. Scribendum fuit Ἰωάννης.

65 Lithogr. Atheniensis.

Ubi numerum 74 nos posuimus, pro n. 65 Lithogr. Athen. substitutum, ibi S. Ioannis Theologi i. e. Evangelistae aedem esse et ego vidi et Kohlmannus confirmat.

Eandem S. Ioannis aedem esse illam censeo, quam commemoravit Pittaces in Antiquar. Athenarum p. 166. Etenim ab templo Turcarum Τσιαμὶ τῆς Κολώνας 77 („Columna“ Pitt.) et aede Panagiae (Blastices, ut videtur, in n. 23 nostr. tabulae) enumeratio ad orientem versus procedens venit ad

---

*) In exemplo, quod Schaubertus aut Schauberti administer sequebatur, non Marina fuisse sed S. Ioannes videtur. Nam et imitator Monacensis hoc nomen habet nec genitivis Schaubertus uti solet, ut signo aedis S. Marinae quae extra urbem est (in n. 50 nostrae tabulae) adscriptum legitur ΑΓ ΜΑΡΙΝΑ. Exemplum a Schauberti operis expressum simile ei fuisse indici dicendum est quem Lithogr. Monacensis sua in tabula adscripsit. Nam duo nomina, in quibus peccatum est a Schauberto, vicina esse in illo indice reperiuntur, prius in n. 25 ἅγ. Ἰωάνης, alterum in n. 26 Παναγία τοῦ Σαΐτα (imo Βλαστική), ut utraque linea vel male exarata vel in litura fuisse videatur.

antiquam viam Tripodum, quam a prytaneo, i. e. a nostrae tabulae numeris 6 et 90 pertinere vult ad Lenaeum. Eadem in pagina 166 subiicitur mentio S. Ioannis, a cuius sede quae prope abest via nunc antiquo nomine insignis est. Nimirum docti homines et alii et inprimis ut opinor Pittaces suaserunt ut inscriberetur publice quod in compitis legitur nomen ΟΔΟΣ ΤΡΙΠΟΔΩΝ.

N. 75.

Χριστός.

Fuit inter Demetrium Catephorem et Ioannem Theologum, in compitis viarum Lysiae et Erechthei.

ΠΑΝΑΓΙΑ Schaubert. — Erratum fortasse in nomine.

29 Παναγία Lithogr. Monacensis.

Signum sine numero habet Lithogr. Atheniensis.

Exemplum tabulae Lithographi Atheniensis missum a me Athenas, in quo Panagiae nomen ibi scripseram, Schaubertum et imitatorem eius secutus, ita emendatum Kohlmannus remisit, ut pro Panagia Christus substitutus esset, Panagia propinquam quidem, sed aliam sedem haberet. Itaque per literas rogavi iterum, ut exquireretur, uter situs verus esset, atque controversia componeretur. Respondit Kohlmannus non posse dubitari quin Christi aedes ibi (in n. 75) fuerit; quaesivisse se a D. Pantase, qui emisset fundum, ubi ecclesia Demetrii Catephoris fuisset, et nunc possideret, editore Ephemeridum τῶν Φιλομαθῶν; eo viro usum se esse auctore in emendanda hac parte tabulae *).

N. 76.

Παναγία Ζώνη.

Ubi Panagiae Zones aedem designavimus, inter nostrae tabulae numeros 75 et 77 interiectam, ibi nemo ecclesiam fuisse scribit nisi Kohlmannus. Is narrat, ecclesiae nunc dirutae eum locum (in n. 76) assignari a vicinis, addito cognomine Zones, quod praescripsi.

*) Etsi obsequendum duxi Kohlmanno, scrupulum tamen iniicit index Monacensis, quod n. 29 Παναγία duos istos numeros 25 et 26, in quibus Schaubertus erravit, non sequitur nisi interpositis numeris 27 et 28. Vide notam p. 71.

Schaubertus et Lithographus Monacensis eam sedem Panagiae attribuunt quam numero 75 nos denotavimus, non multum illam quidem ab n. 76 distantem. Cf. p. 72.

Quaerendum autem, Panagia Zone num mutato nomine Blastice sit. Pittaces quidem Ant. Athen. p. 160 post templum Turcarum, Τσιαμὶ τῆς Κολώνας, n. 77, Panagiam Blasticen nominat abs qua ad orientem versus viam Tripodum fuisse ib. p. 166 dicit, subiuncta ib. ecclesia S. Ioannis Theologi 74. Haec satis quadrant in n. 75 vel 76, nisi quod via Tripodum, quae quidem nunc vocatur, longius abest.

Panagia Blastice ab Labordio quoque, Athen. I p. 28, commemoratur. Situs ecclesiae leviter attingitur tantumque intelligitur Panagiam Blasticen non procul a balneis 78 collocari. Propius autem n. 75 vel 76 abest a balneis quam n. 23. Sed Labordii definitio, si est definitio vocanda, ad neutrum locum satis convenit minusque accurate in describendis locorum propinquitatibus versatur Labordius. Balneae enim etsi prope absunt, alia tamen aedificia propius absunt.

Verum nec Labordio multum tribuendum fuerit nec Pittacis enumeratio locorum ea est quae non possit quodammodo conciliari cum sede Panagiae Blastices in n. 23 collocata, unde etiam propius abest via Tripodum. Cf. p. 26 sq. ubi Stuartum et Leakeum secuti demonstravimus, Panagiam Blasticen in n. 23 fuisse. Fatemur tamen non omnem scrupulum nobis exemtum esse.

N. 77.

Τσιαμὶ τῆς Κολώνας.

Babinus, apud Labord. I p. 195, octo vel novem fuisse turritas aedes Turcarum scribit an. 1672. In Sponii descriptione, an. 1678, non plus duae*) sunt; cf. Labord. II p. 23.

*) In n. 13 templum Bazari i. e. fori, in n. 16 templum novum tis Beynas, quae apud alios scriptores non legi nomina. Dubitari potest an templum Bazari 13 idem sit quod Staropazaron. In Sponii tabula n. 16 bis positus est, ut difficilis et lubrica coniectura sit. Qui propius arcem est n. 16 videri potest Kutschúk Djami, qui longius abest turrim Ventorum significare. Itaque ille n. 16 verus, hic falsus. Nimirum turrim Ventorum index docet in n. 15 collocandam fuisse, qui numerus in tabula desideratur.

Veneti quinque *) turres designarunt, in quo numero Τσιαμὶ τῆς Κολώνας est. Id fuit ibi ubi fere Hadriani viam secat via Nicodemi.

Y Moschea, hora chiesa de Luterani; in tabula Com. S. Felicis ap. Fanell. p. 317.

M Moschea ora Chiesa Luterana; in prospectu Athenarum („Prospeto di Athene"), cf. Labord. Athen. II p. 150 not. et Additam.

7 Moschea, horà Chiesa. Coronelli.

Mentionem huius novae Lutheranorum ecclesiae fecit Anna Akerhjelm apud Labord. II p. 317; cf. ib. p. 179.

Coloumna nominatur in Ant. Athen. p. 160 a Pittace.

ΤΣΙΑΜΙ Schaubert.

24 Τσιάμι Lithogr. Monacensis. Imo Τσιαμί.

63 Lithogr. Atheniensis.

Djami tis Colonas, literis latinis, Kohlmannus scripsit; id nomen ego graecum feci: Τσιαμὶ τῆς Κολώνας.

N. 78.

Balneae Turcicae.

Sitae sunt in compitis viarum Philotheae et Hadriani et Nicodemi.

ΛΟΥΤΡΑ Schaubert.

23 Λουτρὰ Lithogr. Monacensis.

78 Lithogr. Atheniensis.

N. 79.

Ἁγ. Εἰρήνη.

Aedicula sita fuit propter balneas 78, non procul a S. Andreae monasterio 147.

ΑΓ ΕΙΡΗΝΗ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

601 (scribendum fuit 60) Lithogr. Atheniensis.

---

*) In tabulis Venetorum, qui urbem an. 1687 captam descripserunt aut adumbrarunt, Mohametanorum templa haec esse reperiuntur: Staropazaron, turris in Parthenone prominens, Coloumna, Ieni Djami, Kutschuk Djami; quae aedificia sitibus dignoscuntur, nomina non adscripserunt Veneti. — Coronellius quot templa Turcarum designaverit, non liquet, quippe qui adumbraverit Guilleti ritu.

N. 80.

Σταυρομένος.

Aedes fuit in compitis viarum Nicodemi et Thucydidis.
ΣΤΑΥΡΟΜΕΝΟΣ Schaubert.
Omisit Lithogr. Monacensis.
59 Lithogr. Atheniensis.
Cf. n. 11 p. 20.

N. 81.

Ἅγ. Θεόδωρος.

Ab occasu solis urbem intrantibus dextra fuit S. Theodori aedicula propter viam Nicodemi sita.

ΑΓ ΘΕΟΔΩΡΟΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

Signum posuit Lithogr. Atheniensis omisso numero, qui fortasse fuit 53.

N. 82.

Vigiliarium Turcarum.

Ad portam Poponistranam signum pentagonum positum habet Lithographus Atheniensis, numero (fortasse 54) omisso. In praesidio ibi erant portae custodes, dum Turcae dominabantur.

Caput XI.

Aedificia circa turrim Ventorum sita.

N. 83.

Turris Ventorum.

Turrim ventorum, al. Lithographo Atheniensi in n. 81, a nobis in n. 83 positam, plerique significarunt qui urbem descripserunt; quorum singulas afferre significationes huius loci non est. — Duae viae inde nomina habent: ὁδὸς Αἰόλου et ὁδὸς Κυρίστου (imo Κυρρήστου). Nam turris a doctis modo templum Aeoli s. ναὸς Αἰόλου (Lith. Athen. et Calerges), modo πύργος Ἀνδρονίκου τοῦ Κυρρήστου vocatur.

N. 84.

Aedificium ignotum.

Lithographus Atheniensis in suae tabulae n. 80 signum posuit nec quadratum nec rotundum, quod in nostro numero 84 reddimus. Nunc ibi — inter turrim Ventorum et Mendresé — nihil est aedificii nec dicere possumus quam domum aut aedem iste significaverit, omissam certe quidem in ceteris tabulis urbis Athenarum.

N. 85.

Μενδρεςέ.

Aedificium inter turrim Ventorum et viam Hadriani collocatum, Turcarum quondam schola fuit, nunc carcer est.

Graece scriptum nomen Μενδρεςέ legitur in programmatis Atheniensis, quod inscribitur: Γενικὴ cυνέλευcις τῆς ἀρχαιολ. ἑταιρίας 1861, p. 18.

Schaubertus magnam molem aedificii significavit, nomine non adscripto aut eraso.

57 Τουρκ. cχολεῖον Lithogr. Monacensis.

79 Lithographus Atheniensis; qui quod suum signum lineolis non replevit, negligenter fecit.

N. 86.

Παναγία Κρυςταλιώτιςςα.

Situs is fuit ut turris Ventorum, Panagia Crystaliotissa, Metropolis (minor) rectam lineam facerent.

In Schauberti tabula non reperitur.

43 Παναγία Χριςταλιώτιςα Lithogr. Monacensis. Scribendum fuit Κρυςταλιώτιςςα.

Commemoratur ecclesia in C. I. n. 573 p. 494; apud Pittacem in Antiq. Athen. p. 130 et 131; Ephemer. n. 2685 p. 1335 sq., ubi saepius legitur nomen scriptum ita ut nos scripsimus.

N. 87.

Aedicula ignota.

Propter Chrysoroedenam 83 perexiguum signum in tabula Lithographi Atheniensis est, quod paene tangit viam Hadriani. Numerus 69 adscriptus. Nemo alius eam aedem designavit,

nedum nominaverit. Tantum tamen coniicere licet, ecclesiam fuisse.

N. 88.

Χρυcοροϊδενα.

Sita fuit propter tramitem in Viam Hadriani ferentem, aequalibus fere spatiis ab aedibus S. Servatoris 151 et Asomati Chilá 135 distans.

In Schauberti tabula non reperi.

Lithographus Monacensis in tabulae indice scribit: 38 Χρυcο ρόδενα sic, in tabula numerum omisit. Itaque quum in ea tabula nomina non adiecta sint, Schauberto quoque tacente, ipsa aede pridem deleta, situs nisi coniectura facta non poterit designari. Inter numeros 37 et 38 in tabula Lithographi Monacensis signum sine numero cernitur. Ibi n. 38 excidisse putandus est. Eum in nostra tabula situm damus, in n. 88, approbante G. Kohlmanno.

68 Lithogr. Atheniensis.

Kohlmannus nomen hoc modo scribit: Chrysoroídena, quam formam ego graecis literis exhibui; parum enim locuples auctor Lithographus Monacensis videbatur.

Etsi primo putaveram eandem esse Chrysoroedenam et Panagiam Roeditissam, quum non modo non omnes difficultates tolli viderem sed etiam Kohlmannus hanc et illam eandem esse pernegaret, sententiam mutandam esse duxi eaque excogitavi quae mox in medium proferam. Cf. p. 78.

N. 89.

Φανερωμένη *).

Sita fuit apud S. Andream 148, propter viam Philotheae.

ΑΓ ΦΑΝΕΡΩΜΕΝΗ Schaubert.

33 ἁγ. Φανερωμένη Lithogr. Monacensis.

65 Lithogr. Atheniensis. Pro numero 65, in ea tabula bis posito, nescio an hoc loco scribendum sit: 62.

---

*) Num recte praefigatur ἁγία dubito, quod cognomen est matris Christi, τῆς Παναγίας Φανερωμένης. Monasterium Cretense, cui et ipsi nomen est Phaneromenae, commemoratur ab Churmuse Byzantio in Creticor. p. 16. Encaenia dicit d. 15 m. Augusti agi, quo die Christiani Mariae in caelum ascensionem celebrant.

Aliud eius ecclesiae nomen Pittaces Ant. Athen. p. 113 tradere videtur. Nam descriptio aedium l. l. ab ecclesia Asomati Chilá 135 profecta ad Panagiam Roeditissam*) in propinquo sitam procedit, tum ad septemtriones versus pergit, ubi duas esse Pittaces dicit aediculas, S. Demetrii et Servatoris. In hoc numero Roeditissa eadem esse ac Phaneromene videri potest, ut Panagia 110 et Pyrgiotissa et Phaneromene appellatur. Etenim, ab Asomati aede quamvis non statim ad Phaneromenen perveniatur, interposita ecclesia Chrysoroedenae, aediculae S. Demetrii et Servatoris dubitari non potest quin eae sint quas in n. 149 et n. 150 nostrae tabulae posuimus; nimirum alteri alteram vicinam esse et, si a Panagia Roeditissa veniatur, ad septemtriones vergere utramque, Pittaces l. l. tradit. Accedit quod in Ephemer. n. 2750 p. 1375 ita disseritur, ut ab Roeditissa prope abfuisse S. Andreas 148 videatur.

N. 90.

Δημήτριος Κατηφόρης**).

Aedes Demetrii prope compita fuit viarum Prytanei et Cyrrhestae. Aliquot abhinc annos deleta est sublataque ante quam, inde ab mense Ianuario anni 1861, cf. Philistoris I p. 131, infoderent locum et monumenta antiqua eruerent***).

ΔΗΜΗΤΡΙΩΣ ΚΑΤΗΦΟΡΗΣ Schaubert.

32 Δημήτριος Κατηφόρης Lithogr. Monacensis.

64 Lithogr. Atheniensis.

---

*) Scribitur Panagia Roiditissa, Pitt. A. Athen. p. 113; Ἐκκλησία ἐπικαλουμένη Ῥοϊδίτισσα, Ephem. n. 2750 p. 1375. — Ῥοΐδιον s. ῥόδιον est malum granatum.

**) Cognomen Κατηφόρης ad locum spectat. Scilicet τὸ κατήφορον significat descensum, locum declivem.

***) In ea pagina Philistoris, quam supra citavi, Cumanudes, κατὰ τὴν θέσιν, inquit, ἔνθα πρὸ ἐτῶν τινῶν ἦτο ἐκκλησία τοῦ ἁγίου Δημητρίου τοῦ Κατηφόρη. Pittaces autem in Ephemer. n. 4111 p. 2092 haec habet: κατὰ τὴν θέσιν ἔνθα πρὸ τῆς Ἑλληνικῆς ἐπαναστάσεως ἦν ἡ ἐκκλησία κ. τ. λ., quasi anno 1821 aut paullo post deleta sit. At anno 1835 nondum deletam fuisse, idem — si non dixit, at significavit in Antiquarum Athenarum p. 132, qui liber editus est anno 1835. Demetrium Catephorem, quamvis cognomen l. l. non addatur, dici a Pittace, inde patet, quod descriptio ab aede Constantini ad orientem versus procedens pergit ad Demetrium. Verum quid opus est plura? Pittacem nemo sequetur, ubi Cumanudem licet audire.

Columnas propter aedem conspici Pittaces anno 1835 tradidit*). Nunc totius loci facies videtur immutata esse.

Antequam fodiendo scrutarentur quum alii tum Pittaces prytaneum recentius opinatus est usque ad Demetrium Catephorem antiquo tempore pertinuisse, cf. Ephem. n. 3197 p. 1641 et al. Ephem. loc., prytaneum vetustius in radicibus arcis ad orientem spectantibus fuisse, cf. Ephem. n. 2590 p. 1293 not. ὑπὸ τὰς ἀνατολικο-βορείους πρόποδας αὐτῆς, πλησιέστερον τῆς ἐνορίας Ληνῶν. Scriptor Antiquarum Athenarum iam anno 1835 dixerat prytaneum recentius, qua fuisset amplitudine, ingens occupasse spatium soli, quod tunc complecterentur sex ecclesiae: Demetrii Catephoris (90), Constantini (91), Panagiae Chrysocastriotissae (9), Theodori (haec aedes ubi fuerit, ex urbis descriptionibus non intelligitur), Spyridonis (92)**), Ioannis Mangutis (6); Ant. Ath. p. 139. Itaque hic locus intelligendus est, si quo in titulo Ephemeridum Archaeol. editor non indicat prope quam ecclesiam inventus sit, satis habens prytaneum recentius indicasse***). Ubi autem non addit, utrum prytaneum dicat, recentius dicere videtur†). Vetustioris enim prytanei mentio rarior est, Ephem. n. 3238 sq. p. 1689 nec, quod sciam, reperitur nisi in posterioribus fasciculis Ephemeridum Arch. inde ab anno 1853 cf. p. 999, ut eius discriminis raro in mentem venisse editori videatur.

Terra autem posteaquam fodi coepta est, parietinas illas diligentius in dies examinantes, quum pervarium esse genus caementorum et fragmentorum, alia ex marmore, alia ex poro viderent, dubitabant, num aedificium ibi fuisset. Mox ex re nata est opinio alia, tunc quidem etiam Pittaci probata, cf. Ephem. n. 4108 p. 2090, partem esse moenium saeculo p. Chr.

---

*) Pitt. Ant. Athen. p. 132 semi-strigatas columnas loquitur impositasque fuisse cortinas vult.

**) Spyridonis aedem in eo angulo prytanei Pittaces collocavit, qui ad occidentem spectaret. Itaque secum ipse pugnat quum in Ephem. n. 1772 p. 999 scribit εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ ἁγ. Σπυρίδωνος πρὸς ἀνατολὰς τοῦ νεωτέρου Πρυτανείου. Imo vero πρὸς δυσμάς.

***) Ephem. n. 2600 p. 1295; n. 2608 p. 1299.

†) Ut Ephem. n. 651 p. 440. Nonnunquam aliae res additae sunt, quibus demonstratur „prytaneum“ esse recentius. Cf. Ephem. n. 586 p. 424: εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ ἁγίου Σπυρίδωνος, κειμένην ἐντὸς τοῦ μεγάλου περιβόλου τοῦ Πρυτανείου κατὰ τὸ μέρος τὸ πρὸς τὸν Θόλον.

tertio exstructorum, imperante Valeriano (an. 254—260) cf. Leakei Topogr. a Baitero conversae p. 35. Quae coniectura Cumanudi quoque, candidissimo harum rerum iudici, si non vera at verisimilis esse visa est. Cf. Philistoris I p. 31.

In eiusdem voluminis p. 324 ab eodem recensentur qui ibi inventi sunt Hermae inscriptis nominibus cosmetarum, epheborum cet. aliaque monumenta, quae nunc in museo antiquariorum Atheniensium asservantur.

In titulis aliquoties commemoratur Diogeneum, cuius aedificii etiam mentio est in C. I. n. 427 p. 456 *). Ea inscriptio in Herma legitur quum simili iis Hermis qui apud Demetrium Catephorem reperti sunt tum ibidem fortasse et ipso reperto; nam prope turrim Andronici Cyrrhestis fuisse dicitur. In uno ex titulis ibi, in n. 90 nostrae tabulae, inventis, Philist. II p. 239 lin. 36 sqq., haec sunt: ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα τοῦτο τὸν ταμίαν τοῦ γένους τῶν Εὐμολπιδῶν ἐν τρισὶν [στήλ]αις καὶ στῆσαι τὴν μὲν ἐν Ἐλευσινίῳ τῷ ὑπὸ τῇ πόλει, τὴν δὲ ἐν τῷ Διογενείῳ, τὴν δὲ ἐν Ἐλευσεῖνι ἐν τῷ ἱερῷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου. Eleusinium**) arci subiectum quum iudicarent non in n. 90 fuisse, inscriptionem in n. 90 inventam alteram illam columnam, τὴν δὲ ἐν τῷ Διογενείῳ, esse ac Diogeneum loco ecclesiae 90 fuisse putarunt***). Cf. Bursiani Geogr. Gr. I p. 295 not. 3. Ernestus Curtius quoque in tabulis utrique Studiorum Att. fasciculo additis locum Diogenei ita definit, ut in area Demetrii Catephoris ponat.

*) Cf. E. Curtii dissertationem in actis Gottingensibus an. 1860 m. Dec. d. 17.

**) Fragmentum eius quoque exstat exempli, quod Athenis in Eleusinio, ἐν Ἐλευσινίῳ τῷ ὑπὸ τῇ πόλει, fuit, titulus in C. I. n. 440 p. 459 editus. Dittenbergerus id nuper demonstravit ita ut dubitari non possit; cf. Hermae vol. I p. 407. Attamen de situ Eleusinii coniectura non datur. Titulum n. 440 „Athenis in domo Nicolai Ioannis" vidit Fourmontus, quae domus in qua parte urbis fuerit nescimus.

***) Certior coniectura esset si in pluribus titulis ad n. 90 inventis legeremus στῆσαι ἐν τῷ Διογενείῳ, quo caveretur, ut ibi statuerentur, ubi videri possunt mansisse. Nam ex plerisque titulis non multum efficitur, quod ad situm Diogenei spectet. C. I. n. 427 p. 456 οἱ περὶ τὸ Διογένειον συνάρχοντες; Phil. I p. 521 ἐπὶ Διογενείου Κλ. Ξενοφῶν; ib. p. 528 ἐπὶ Διογενίου Ἀβάσκαντος Εἰσιδότου. Epheborum praefecti sunt. In Philist. I titul. 1 lin. 41 cosmeta laudatur propter refectum Diogeneum, quae inscriptio ad aedem Panagiae Pyrgiotissae 110 inventa est.

Sunt vero etiam quae aliunde importata esse videantur. In arce primo fuit titulus in Ephemer. n. 2237 p. 1161 editus. Etiam basim illam, cf. Philist. I p. 190 sqq., primo in arce fuisse probabile est, quod p. 191 lin. 15 legitur καὶ cτῆcαι ἐν ἀκροπόλει. Vide quae Cumanudes ib. p. 195 disseruit.

N. 91.

Ἅγ. Κωνcταντῖνοc τοῦ Cαΐτα.

Sita fuit aedes propter viam Lysiae, puteo Pegadaci oblique opposita, ita, ut inter ecclesias Spyridonis 92 et Demetrii Catephoris 90 media fere interesset.

Deest in Schauberti tabula.

31 ἅγ. Κονcταντῖνοc Lithogr. Monacensis. Oportuit scribere Κωνcταντῖνοc.

66 Lithogr. Atheniensis.

Kohlmannus meam quam Athenas miseram tabulam sic emendavit ut τοῦ Cαΐτα cognomen a Panagia 23 ad Constantinum 91 transferret. Cf. p. 26, Παναγία (Βλαcτική).

Aedem 91 Constantino et Helenae dedicatam fuisse, non ausim contendere nec possum demonstrare*).

Denique quae in Ephemer. n. 719 p. 468 leguntur: εὑρέθη εἰc τὸ πεδίον τῶν Ἀθηνῶν εἰc τὸ μέροc τὸ καλούμενον Γυψέλι, πληcίον τῆc ἐκεῖ ἐκκληcίαc τοῦ ἁγίου Κωνcταντίνου, ea nihil ad urbem pertinere existimamus**).

---

*) Quum dies 21 m. Maii Imperatori Constantino et matri Helenae agatur, cf. Gibbon. III p. 313 Version. Vienn., τοῦ Cαΐτα autem eum hominem significare possit, qui aedem 91 condidit (?), non solum Constantini sed etiam Helenae sacram fuisse suspicere, ut quae apud Pittacem Ephemer. n. 1869 p. 1820 commemoratur ecclesia Helenae non differre putes ab ecclesia Constantini. Situs tamen l. l. significatus: παρὰ τὸ ἀρχαῖον Διοcκούρειον καὶ Ἀγραύλειον, πρὸc τὴν ἐκεῖ ἐκκληcίαν τῆc ἁγίαc Ἑλένηc, non omnino convenit ad n. 91 nostrae tabulae. Nam ubi nos n. 91 posuimus et 90. 92. 9. 6, ibi Pittaces non Dioscurium aut Agraulium sed Prytaneum fuisse arbitratus est; illa aedificia autem in nostrae tabulae n. 2. 3. 8. 4 collocavit. Cf. p. 79 Δημήτριοc Κατηφόρηc, et Ephemer. p. 1293 not. Itaque Helenae ecclesiam illam, quamvis omissam in tabulis Athenarum, separandam esse a Constantini putamus.

**) Loca aperta quae Γυψέλι Pittaces vocat eadem esse videntur ac Κυψέλη, quod nomen in tabula Calergis ad septemtriones versus prope Patissiam positum reperitur, sive Κυψέλι; ut Heldricus scribit.

N. 92.

Ἅγ. Σπυρίδων.

Sita fuit prope Panagiam Castriotissam 9 et puteum Pegadaci, Πηγαδάκι *). Via nominatur ὁδὸς Λυσίου.

In Schauberti tabula non reperi.

42 ἅγ. Σπειρίδων. Lithographus Monacensis fere semper cum Schauberto consentiens hic dissentit, nisi forte in charta Schaubertiana discernere oculis aliquid erasi nominis contingit.

13 Lithogr. Atheniensis.

Propter inserta antiquitatis monumenta Spyridonis ecclesiam crediderunt antiqui templi parietinis aedificatam esse. Cf. Ephemer. n. 1772 p. 999. Id templum quum Minervae, Ἀθηνᾶς τῆς Ἀρχηγέτιδος, fuisse l. l. Pittaces contendat, nescio an titulum Ephem. p. 139 lin. 4 ἐρρηφορήσασαν Ἀθηναῖ Πο-[λιάδι], in aede Spyridonis 92 invenerit, quamvis Πολιάς et Ἀρχήγετις non visa sit eadem esse. Scribitur enim esse in ecclesia Spyridonis: ὅστις (βωμός) κεῖται εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Ἁγίου Σπυρίδωνος.

Anno 1822 a Turcis deleta est ecclesia 92. Cf. Ephem. p. 999.

Cf. p. 79 not. **, Ἅγ. Δημήτριος Κατηφόρης.

N. 93.

Ἅγ. Ἰωάννης.

Fuit propter viam Thrasybuli, non procul ab Turcarum fano Kutschúk Djami 94.

ΑΓ ΙΩΑΝΝΗΣ Schaubert.

69 ἅγ. Ἰωάννης Lithogr. Monacensis. Erratum est in numero. Libet scribere 63.

12 Lithographus Atheniensis.

N. 94.

Κουτσιοὺκ Τσιαμί.

Mohametanorum templum Kutschúk Djamí, quod nunc de-

*) Minus accurate locum Spyridonis 13 Pittaces in Ant. Athen. p. 131 definit, quum ad orientem versus sitam esse ab turri ventorum dicit. Etenim inter orientem et meridiem spectat area, in qua ea ecclesia fuit.

moliti sunt Athenienses, semita Panis in arcem ascendentibus ad laevam fuit.

N. Due Moschee de Turchi in Città; quae sunt in tabula Comitis S. Felicis apud Fanellium p. 317. — In altera litera N templum Staropazaron est. Cf. infra n. 96.

P Monitione del Biscotto; in Prospectu Athenarum, quem in additamentis edidit Labordius.

4 Moschea, Horà Magazino; in P. Coronellii tabula, quam Conzius misit.

Tunc igitur, an. 1687, pro cella penaria erat Venetis.

Apud Schaubertum non reperio.

65 Τσιάμι Lithogr. Monacensis. Scribendum fuit Τσιαμί.

14 Lithogr. Atheniensis.

Graece scriptum nomen damus, etsi nemo praeivit scriptionem, nisi quod latinis literis G. Kohlmannus praebuit: Kutschúk Djamí.

N. 95.

Λουτρά.

Aedificium propter viam Musei situm catholicam, quae nunc est, ecclesiam 100 tangit.

ΛΟΥΤΡΑ Schaubert.

59 Λουτρά Lithogr. Monacensis.

84 Lithogr. Atheniensis, qui continentia duo signa quadrata posuit.

N. 96.

Τσιαμὶ Σταροπάζαρον.

Aedificium, ubi militum nunc stativa sunt, situm est inter turrim Ventorum 83 et Taxiarchae ecclesiam 101.

N Due moschee de Turchi in Città; in tabula Comitis S. Felicis apud Fanellium p. 317. — Quae litera N propior arcem est, Kutschúk Djamí significat, id quod intervallis locorum intelligitur.

O Moschea ora Chiesa Catolica; in prospectu urbis, quem in Additamentis edidit Labordius.

Veneti igitur dum Athenas tenebant, an. 1687, ecclesiam catholicam (Latinorum) ibi fuisse accipimus *).

*) Pittaces Ant. Athen. p. 117 primo ibi Cereris aedem fuisse vult;

Nomine Staropazaron frumenti locum significari, Pittaces in Ant. Athen. p. 117 docet; in propinquo marmorea vasa esse tria, quibus cives frumenta metiri *), aliud quidem alio amplius; quod amplissimum sit, eius dimidiam partem capi altero, minimum autem quartam partem.

Antiquas columnas cum epistyliis in eo aedificio conspici idem l. l. narrat, quas reliquias templi Cereris olim ibi conditi esse opinatur; confirmari istam opinionem titulo: τὴν ἑαυτῆς θυγατέρα Δήμητρι κα (sic) Κ[όρῃ ἀνέθηκεν], quem se in illa aede reperisse contendit.

ΤΣΙΑΜΙ Schaubert. Signo quatuor puncta ad orientem versus appicta sunt, quibus nescio an columnarum loca definiantur.

54 (imo 58) Τσιάμι Lithogr. Monacensis, accentu depravato.

82 Lithogr. Atheniensis.

N. 97 et 98.

Aedificia ignota.

Inter horologium Elgini et turrim ventorum tria signa interposuit Lithographus Atheniensis, quae explicare non possumus. Quod in n. 97 nos, ille in n. 85 habet signum, quod ille in n. 89, nos in n. 98 habemus. Tertium signum inexplicabile in capite XV recensebimus.

---

eam a Christianis in S. Dionysii ecclesiam, a Turcis in Moscheam conversam esse. Hocne dicit, ante dominatum Turcarum aedificium 96 aut aliud eadem in area exstructum S. Dionysii sacrum fuisse? Fanellius quidem, quem in nota 2 l. l. nominat, ubi id tradiderit nescio; quod is p. 310 n. 669 narrat, primam ecclesiam a Venetis S. Dionysio dedicatam esse, ad annum 1687 pertinet neque vero ad tempora ante captas Athenas.

*) Obtinuisse eum morem intelligitur anno 1835, quo anno Pittacis liber editus est.

Caput XII.

Quae circa Portam Fori sunt aut fuerunt aedificia.

N. 99.

Ἅγ. Σωτήρ; ἡ Πύλη τῆς Ἀγορᾶς.

Aedes sacra S. Servatoris in meridiem versus applicata fuit ad antiquas illas columnas, quibus nomen ἡ Πύλη τῆς Ἀγορᾶς vel ναὸς Ἀθηνᾶς τῆς Ἀρχηγέτιδος.

ΣΩΤΗΡ Schaubert.

Lithographi omiserunt; nam qui apud Lithogr. Atheniensem legitur numerus 88, quum signum desit ecclesiae, non S. Servatoris sedem sed Portam Fori indicat.

Ecclesiae mentionem facit Pittaces in Antiq. Athenarum p. 116.

N. 100.

Τεκές.

Aedificium situm est ad compita viarum Musei et Poeciles.

Quibus domibus nomen est Τεκές, in iis Mohametanorum monachi, similes Saliorum Romanorum, tripudiabant *). In eo autem quod in n. 100 designavimus, non illae modo caerimoniae fieri sed etiam pueri a magistris publice doceri solebant. Nunc ecclesia catholica est (Latinorum).

N. 101.

Ἅγ. Ταξιάρχης **).

Conspicitur ex platea quae a Porta Fori nomen habet Πλατεῖα Πυλῆς Ἀγορᾶς; ad septemtriones et orientem versus.

ΑΓ ΤΑΞΙΑΡΧΗΣ Schaubert.

61 ἅγ. Ταξιάρχης Lithogr. Monacensis.

111 Lithogr. Atheniensis.

Posteaquam a Turcis deleta est an. 1821 refectam et renovatam denuo dedicarunt Taxiarchae an. 1852***). Eliae autem

---

*) Cf. Th. Gautieri Constantinopolim p. 132.

**) Rectius Ταξιάρχαι, ut Ephemer. n. 1385 p. 864. Solent tamen singulari uti. Cf. n. 117, Ἅγ. Ἀσώματος.

***) Pittaces in Ephemer. n. 1385 p. 864 haec scribit: ἀνέγραψα

ecclesiam, quam vicinam in n. 102 habuerat, eodem ut videtur tempore et ipsam deletam, non refecerunt sed eam quae nunc est aedem et Taxiarchae et Eliae esse voluerunt, minore parte aedificii dedicata Eliae.

Quum Archangelos Ταξιάρχας dicant, cf. Ephem. n. 1591 sqq. p. 938: τῶν Ταξιαρχῶν Μιχαὴλ καὶ Γαβριήλ, quaerere licet, num ad aedem 101 ii pertineant tituli, qui in ecclesia Michaëlis Archangeli reperti feruntur, C. I. n. 164 p. 291 et n. 812 p. 519. Res dubia propterea quoque, quod archangeli non modo ταξιάρχαι sed etiam ἀσώματοι *) sunt Graecis, ut idem quaeri possit in pluribus ecclesiis.

Porta Fori, ἡ Πύλη τῆς Ἀγορᾶς, quoniam vicina est, si qua inscriptio ibi reperiebatur **), antiquo nomine locum indicare malebant quam S. Servatoris vel S. Taxiarchae. Est tamen ut nominent Taxiarcham; cf. Ephemer. n. 1384 sq. p. 863 sq.; n. 1625 p. 966.

N. 102.

Ἅγ. Ἠλίας.

Fuit propter ecclesiam Taxiarchae 101. Vide supra.

ΑΓ ΗΛΙΑΣ Schaubert.

62 ἅγ. Ἠλίας Lithogr. Monacensis.

112 Lithogr. Atheniensis.

Quem Pittaces in Ant. Athen. p. 147 et 468 loquitur

αὐτὴν (τὴν ἐπιγραφήν) τὸ 1852 Φεβρουαρίου 28 ὅτε τὴν Ἐκκλησίαν τῶν Ταξιαρχῶν ἀνεκαίνιζον πυρπωληθεῖσαν ὑπὸ τῶν Τούρκων τὸ 1821. — Quum in tabula urbis, quam Carolus Kohlmannus an. 1843 fecit, Taxiarchae et Eliae aedes dicatur, aedificium quod nunc est iam anno 1843 aedificari aut coeptum aut destinatum fuerit.

*) In d. 8 m. Novembris Calendaria haec habent: ἡ σύναξις Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου καὶ τῶν λοιπῶν Ἀσωμάτων δυνάμεων. Qui ἅγ. Ἀσώματος nominari solet, n. 127 nostrae tabulae, etiam Ἀσώματος Ταξιάρχης nominatur; cf. p. 107. Basim „altaris Ἀσωμάτου" C. I. n. 376 p. 437 Pittaces in ecclesia Taxiarcharum descripsit, cf. Ephemer. n. 1385 p. 864. — Unus de Asomatis, cui Chilá cognomen, nostrae tabulae in n. 135 positus, optimo iure illas inscriptiones ad se vindicet, si cognomini subsit vox Μιχαήλ. Cf. p. 111, Ἅγ. Ἀσώματος Χειλᾶ.

**) Octo tituli ad Portam Fori inventi in Ephemer. Archaeol. leguntur. In hoc numero est n. 1826 p. 1010 ubi Mercurius Phalanthes nominatur, lin. 2 Ἑρμεῖ Φαλάνθει.

Eliam, nullum censeo esse nec unquam fuisse. Et priore quidem loco, quum in radicibus arcis ad septemtriones spectantibus titulum reperisset, in quo esset ΗΛΙΟΣΚ..., aram Solis olim fuisse ibi suspicatus, cupide quaesivit, quem Soli heredem institueret. Ita factum est ut in lucem extraheret et produceret Eliam, cuius non est ulla mentio apud alios scriptores. Nam aedes Eliae 102 non potest intelligi, quod in p. 147 de ea parte urbis disputat, ubi nostri numeri sunt 2. 3. 8. 11. — Haud scio an facilius quispiam adducatur ut quem idem in p. 468 commemorat Eliam, in nostrae tabulae n. 102 sedem habuisse credat. Primo poterit fortasse fieri ut fidem nolit abrogare Pittaci, sed si diligentius rem consideraverit, aedi Elissaei 103 falsum nomen imposuisse hominem videbit. Cf. infra Ἅγ. Ἐλισσαῖος.

N. 103.
Ἅγ. Ἐλισσαῖος.

Fuit inter viam et aream ubi S. Thomas quondam sedem habuit. Via nunc ὁδὸς Ἄρεος nominatur.

ΑΓ ΕΛΙΣΑΙΟΣ Schaubert. Debuit scribere ΕΛΙΣΣΑΙΟΣ.

71 ἅγ. Ἐλισσαῖος Lithogr. Monacensis.

Signum Lithogr. Athen. habet omisso numero. In emendata a nobis tabula lithographi scripsimus 113.

Formam Ἐλισσαῖος confirmat dies 14 m. Iunii, qui est in fastis, Ἐλισσαίου τοῦ Προφήτου.

In hac aede bis ut opinor peccavit Pittaces. Nam qui Elissaeus est in Ant. Athen. p. 70 Eleusa, ib. p. 468 Elias vocatur. Eleusam istam, cuius aedem scriptor non procul a Porta Forensi 99 abesse vult, nemo alius commemorat. Misericordiae scilicet olim ibi aram fuisse quum demonstraret, cupidius suam opinionem commendavit, S. Eleusam ferens antiquae illius Misericordiae s. Ἐλεοῦ heredem et quasi vicariam. — Prioris errati oblitus in p. 468 aliter erravit. Nam quae ibi commemorantur ecclesiae duae, altera alteri vicina, sitae in regione urbis Βρυσάκι, manifesto Elissaei 103 et Thomae Brysaci 104 sunt. Nimirum in Thomae cognomine explicando et altius repetendo (Βρυσάκι ab Eurysace) tota ista disputatio versatur ut unam de duabus illis aedibus Thomae esse pateat. Sequitur ut altera Elissaei sit atque Eliam

nominet antiquarius qui Elissaeus nominandus fuit. Eliae ecclesiam in n. 102 nostrae tabulae significatam non dicit Pittaces, quippe quae non Thomae sed Taxiarchae vicina sit.

N. 104.

Ἅγ. Θωμᾶς Βρυσάκι.

Fuit prope molem illam saxo quadrato constructam, quas gymnasii Ptolemaei esse reliquias quum crederent, viam Ptolemaei et plateam Ptolemaei nominarunt. Nunc Attali constat ibi fuisse porticum. Cf. p. 94, Παναγία Πυργιώτισσα.

ΑΓ ΘΩΜΑΣ Schaubert.

72 ἅγ. Θώμας (imo Θωμᾶς) Lithogr. Monacensis.

Lithogr. Atheniensis in aedis signo non adscripsit numerum. Supplevimus 114.

Cognomen Βρυσάκι Pittaces in Ant. Ath. p. 62 tradidit. Ibi enim, quin de ea aede, cuius nomen et situm Schaubertus et Lithographus Monacensis indicant, scriptor Antiquarum Athenarum disserat, propterea non potest dubitari, quod, quum in p. 67 ad Panagiam Pyrgiotissam veniat, in ea versatur parte urbis, ubi S. Thomae ecclesia fuit. Neque plures, quod sciam, Athenis sunt ecclesiae S. Thomae dedicatae.

Cognomen iterum Pittaces ib. p. 468 commemorat*). Ibi autem non Βρυσάκι sed Βρισάκι scribit; quae falsa scriptio est. Puteus enim, qui in propinquo est propter Hadriani viam, Βρυσάκι appellatur h. e. fonticulus**) (βρύσις fons, unde βρυσάκιον deminutivum ductum est), eoque nomine etiam loca quae circa sunt***) significantur, quasi Puteoli Atheniensium. Voci Βρυσάκι — pronunciant Vrissáki — subesse Pittaces suspicatur Εὐρυσάκειον — pronunciant Evrissákion — ac viam

---

*) De duabus ecclesiis l. l. disputat. In alterius nomine errat, Eliam vocans qui Elissaeus est. Huic vicinam affert alteram, quae dubitari non potest quin Thomae 104 sit, etiamsi Thomae nomen non addiderit scriptor. Cf. supra, Ἅγ. Ἐλισσαῖος.

**) Conferri potest Πηγαδάκι i. e. πηγαδάκιον, puteus propter viam Lysiae situs.

***) A puteis alia quoque urbis loca habent nomina, quae vulgo multum usurpantur. Et Βρυσάκι quidem loci vel regionis nomen esse, vel ex Pittacis verbis l. l. intelligitur.

quae in propinquo est ὁδὸν Εὐρυσακείου nominari iusserunt, falsae istius coniecturae *) ut immortalis esset memoria.

Insertum in eam aedem Pittaces in Ant. Athen. p. 62 hunc fuisse titulum contendit: Ἀπόλλωνι πατρῴῳ καὶ Ἀρτέμιδι ἀνέθηκεν. Quam rem quum in dubitationem vocasset Rangabes n. 1058 p. 736, purgare se Pittaces studuit Ephem. n. 2696 p. 1355. Cf. Bursiani Geogr. Gr. I p. 283 not.

N. 105.

Ἁγ. Παρασκευή.

Fuit ad occasum a Porta Forensi 99. Quae in propinquo est semita ὁδὸς Καλάου nominatur.

ΑΓ ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ Schaubert.

70 ἁγ. Παρασκευή Lithogr. Monacensis.

Signum habet Lithographus Atheniensis numero nullo. In emendata tabula eius 110 scripsimus.

Ecclesia 105 commemorari videtur in Ephem. n. 1124 p. 677: ὅτε (anno 1820) ἡ πλὰξ αὕτη ἦτον ἐντοιχισμένη εἰς τὸν φεγγίτην τοῦ ἁγίου βήματος τῆς ἐκκλησίας ἁγία Παρασκευή. Post deletam aedem Pittaces titulum iterum anno 1852 invenit in domo privata **). Lin. 4 legitur ΗΙ . Ρ . ΠΟΙΟ.

N. 106.

Εἰσόδια τῆς Κυρᾶς.

Fuit inter ecclesiam S. Apostolorum 108 et Portam Forensem 99.

In Schauberti tabula nec signum aedificii nec nomen est; quamquam haud scio an fuerit, antequam usu et vetustate charta attereretur.

69 τὰ εἰσόδια Κύρα Lithogr. Monacensis, accentu per-

*) Surmeles, περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 170, nomen Βρυσάκι recte interpretatus, cum puteum post urbem a Mauroceno captam, ineunte saeculo XVIII effossum esse tradit.

**) Pittaces primum in Metroo fuisse mansisseque in loco ad Hypapanten contendit; deinde Fustis (Albanis) Atticam invadentibus (an. 1770, cf. Ross Arch. I p. 145), quum loca declivia arcis ad septemtriones vergentia saepirentur, asportatum esse opinatur (quae perdubia sunt omnia); tum demum in ecclesiam 105 indeque in domum privatam insertum.

peram posito. Quod non genetivum sed nominativum scripsit, fortasse pronunciandi negligentiam et usum vulgi sequitur.

87 Lithogr. Atheniensis.

Agiam Cyram („Agia Kyra") Pittaces in Ant. Athen. p. 51 vocat; quo nomine aedem in n. 106 nostrae tabulae positam significari, ex decursu enumerationis patet. Etenim l. l. post aedem S. Apostolorum 108 et aediculam Spyridonis 109, Agiam Cyram recenset. — Idem nomen, τῆς ἁγίας Κυρᾶς, imponit in Ephemer. n. 1125 p. 679*); n. 1138 p. 684 = C. I. n. 167 p. 296; cf. Ephemer. n. 2686 p. 1337. Ex locis, quos indicavi, intelligitur m. Maio an. 1834 nondum deletam fuisse. Erat autem in fundo hominis privati atque adeo privata in domo, qua eodem ut videtur anno deleta et ipsa S. Dominae aedes eversa et dissipata est; cf. ib. p 678 sq.: τὴν οἰκίαν ταύτην κατὰ τὸ αὐτὸ ἔτος (1834) ἠγόρασεν ὁ Κ. Γεωργ. Καντακουζηνός, καὶ ἔλαβε τὴν ὕλην ὅλην καταστρέψας τὴν οἰκίαν καὶ τὴν ἐν αὐτῇ ἐκκλησίαν τῆς ἁγίας Κυρᾶς ἐπικαλουμένην κ. τ. λ.

In titulo l. l. n. 1125 res publice venditae enumerantur, adscriptis mensium diebus et summis pecuniarum. Antiquitus in Metroo fuisse editor l. l. p. 680 extr. iudicat. Cf. p. 23, Ὑπαπαντή.

N. 107.

Χριστός.

Fuit propter viam Metroi, in amfractu eius viae. Nunc nihil reliquum nisi paries pictis sanctorum formis insignis, qui ad laevam est sursum enitentibus ac si quis altius ad Hypapanten ascendit inde quoque facile conspici potest.

ΧΡΙΣΤΟΣ Schaubert.

68 Χριστός Lithogr. Monacensis.

86 Lithogr. Atheniensis.

Pittaces in Ant. Athen. p. 155 scribit, Clepsydram, fontem illum arcis, profluere in parva S. Apostolorum aede ibique duodecim pictos in pariete viros esse. Ecclesiam S.

*) Idem titulus apud Rangabem legitur, in Ant. I n. 318 p. 394. De locis autem Pittaces accuratius disputat, ubi is titulus primo fuerit, quo postea pervenerit, quis abs quo fundum emerit et materiam amolitus sit.

Apostolorum 108 non dicit, quam constat magnam esse aut certe non parvam, nec murum ea habet pictura distinctum. Minoris autem S. Apostolorum ecclesiae non est ulla usquam mentio, ut suspicere Pittacem, quae Christi est, Apostolorum appellasse ecclesiam. Disputat enim de eis locis quae fere sub Clepsydra sita in urbem inferiorem vergunt. Ibi autem aedes Christi 107 parietinae sunt. Cf. p. 24, Ὑπαπαντή.

Caput XIII.

Loca inter S. Apostolos et Theseum sita.

N. 109.

Ἅγ. Ἀπόστολοι Σολάκοι.

Ecclesia omnibus nota inter septemtriones et occasum spectat ab arce.

ΑΓ ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ Schaubert.

75 Ἅγ. Ἀπόστολοι Lithogr. Monacensis.

99 Lithogr. Atheniensis.

Ab Apostolis 108 via nomen habet, ὁδὸς τῶν ἁγ. Ἀποστόλων.

Cognomen reperi in Ephemer. n. 2819 p. 1400: ὁδὸν τῶν Ἁγίων Ἀποστόλων Σολάκοι. Ut S. Thomas 104 ab regione in qua ecclesia est cognomen habet Βρυσάκι, cf. p. 88, ita ab regione Σολάκοι S. Apostoli, cf. p. 24.

In propinquo repertus est titulus Ephemer. n. 3651 p. 1886 = Ἐπιγρ. Ἑλλ. κατὰ τὸ πλεῖστον ἀνέκδοτοι 1860 n. 3. Lapis pro limine domus fuit, quam inter S. Apostolos et Panagiam Pyrgiotissam esse aut fuisse ex iis intelligitur, quae editores, Pittaces et Cumanudes, scribunt. Extrema linea, quam omisit editor Ephemer. Arch., cavetur, illud de sacris mysteriorum decretum ut ἐ]ν Ἐλευσ[ῖνι aut quod magis probo ἐ]ν Ἐλευσ]ειυίῳ statuatur. Cf. Philistor. II p. 239 ἐν Ἐλευσεινίῳ τῷ ὑπὸ τῇ πόλει.

Ingens tabula marmorea C. I. n. 71 p. 107, in qua de induciis propter mysteria faciendis agitur, in atrio domus

Graeci cuiusdam „in urbe versus templum Thesei“ fuit. Significatur ea urbis regio ubi viae sunt τῶν Ἐπωνύμων, τῶν Στοῶν, τῶν ἁγ. Ἀποστόλων. Verisimile autem est, hanc quoque inscriptionem primo positam fuisse ad Eleusinium urbanum quod sub arce erat.

Qui tituli si non procul ab eo loco inventi sunt ubi olim fuerunt — rem fateor incertam esse, sed si manserunt in loco, sequitur ut Eleusinium in ea urbis parte fuerit quae ab arce ad septemtriones et occasum vergit*). In superiore autem loco propius arcem, in nostrae tabulae n. 13. 16. 19, Eleusinium fuisse putaverim, marmora illa autem portata esse in loca inferiora**).

Pittaces in Ant. Athenarum p. 48 S. Apostolos successisse putat arae duodecim deorum, quam ibidem fere sed propius arcem E. Curtius fuisse existimat.

In ecclesiis Apostolorum duo dies sanctissime celebrantur d. 29 et 30 m. Iunii. In die 30 adscribitur: ἡ σύναξις τῶν 12 Ἀποστόλων.

N. 109.

Ἅγ. Σπυρίδων.

Fuit propter viam Eurysacei.

ΑΓ ΣΠΥΡΙΔΩΝ Schaubert.

74 ἅγ. Σπυρίδων Lithogr. Monacensis.

Omisit Lithogr. Atheniensis.

Ecclesia S. Spyridonis a Pittace commemoratur in Ant. Athen. p. 51.

N. 110.

Παναγία Πυργιώτισσα.

Ecclesia Panagiae Pyrgiotissae, quae ultimam viam Poe-

*) Bursianus, in Geogr. Gr. I p. 296, aut inter septemtriones et occasum aut, trans vallem arcis et Areopagi, inter septemtriones et orientem spectasse arbitratur. Si quid tribuendum titulis, prior opinio probabilior.

**) Titulo Ephem. n. 4009 p. 2005, in qua Sabinae uxoris Hadriani mentio est, reperto in ecclesia Panagiae Pyrgiotissae, plus efficeretur, si nova Ceres, νέα Δήμητηρ appellaretur ut alibi, cf. m. Heortolog. p. 237. — Quod Pittaces opinatur inscriptionem Ephem. n. 2325 p. 1197 ex Eleusinio asportatam esse, incertum videtur. Commemorantur l. l. ἱεροφάντης, κῆρυξ, δᾳδοῦχος. In murum ecclesiae, quae in Lycabetto est, insertum eum lapidem repererunt.

ciles tangebat, ad septemtriones versus sita ab S. Apostolis 108, paulo ante m. Ianuarium an. 1861 deleta est*).

ΧΡΥΣΟΠΥΡΓΩΤΙΣΣΑ Schaubert. } Scribendum fuit
78 Χρυcοπυργότιcα Lith. Monacensis. } Χρυcοπυργιώτιccα.

Signum posuit, numerum (fortasse 109) omisit Lithogr. Atheniensis.

7 Παναγία Πυργιώτιccα Programm. Soc. Arch. Athen. 2 Iul. 1861.

Nomen ab loco inditum. Moenia enim illa, Romanis aut Byzantinis dominantibus exstructa, quum pro fundamento essent, ipsam aream aedis eminuisse putandum est ut loco edito tanquam in turri esse videretur. Cf. Philistor. I p. 41: ἐν τοῖc θεμελίοιc τοῦ πύργου ἐν ᾧ — ἦτο ἡ ἐκκληcία ἡ καλουμένη Παναγία Πυργιώτιccα.

Aliud quoque fuisse cognomen ex Topographia Leakei et Rienäckeri intelligitur. In eius libri p. 190 et 192 Panagia nominatur „Fanaroméni" i. e. Φανερωμένη, quae appellatio ad religionem eius aedis et superstitionem pertinet.

Antequam ea loca scrutarentur antiquarii, quum parietinae aedificiorum ex solo eminentes quae prope n. 110 essent, Poeciles, quae inde ad septemtriones vergerent (partim in regione Βρυcάκι sitae) gymnasii Ptolemaei reliquiae esse viderentur**), editor Ephemeridum Archaeologicarum his potissimum nominibus usus est, quibus significaret ubi tituli***)

---

*) Tunc murus in quo erat ab antiquariis Atheniensibus perfodiebatur. Cf. Philistoris I p. 41: μέχρι χθὲc καὶ πρώην ἦτο ἡ ἐκκληcία ἡ καλουμένη Παναγία Πυργιώτιccα, quae scripta sunt ineunte anno 1861. Verno tempore anni 1860 multa iam antiquitatis monumenta ex illa mole eruta erant. Cf. Ἐπιγρ. Ἑλλην. κατὰ τὸ πλεῖcτον ἀνέκδ. Φυλλάδ. α'. Ἐν Ἀθήναιc 1860 pag. β'.

**) Cf. Pittacis Ant. Athen. p. 69 (Poecile) et p. 74 (gymnasium Ptolemaei). Schaubertus in tabula sua omnes ibi parietinas insignivit nomine adscripto ΓΥΜΝΑΣΙΟΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. Poecilen non nominat. Itaque de Poecile fortasse non idem iudicavit quod Pittaces. — Cf. Curtii Stud. Attic. II p. 32.

***) Propter titulos igitur ista commenta topographorum ne nunc quidem licet plane negligere. Si qui titulus repertus est πληcίον τοῦ γυμναcίου τοῦ Πτολεμαίου ut Ephemer. n. 282 p. 262, situs dicitur ab n. 110 remotior, fonti Βρυcάκι imminens; si κατὰ τὴν Ποικίλην ut Ephemer. n. 577 p. 419, ipsa aedes Panagiae Pyrgiotissae fundamentaque aut quae vicina erant.

inventi essent, addita nonnunquam Pyrgiotissae mentione. Rarius in sola aede 110 nominanda acquievit.

Quos topographis placuerat situs esse Poeciles et gymnasii Ptolemaei, tanta persuasione homines Athenienses amplectebantur ut viam a n. 110 ad Portam Fori ducentem ὁδὸν Ποικίλης, paullo inferiorem locum vel tramitem Πλατεῖαν Πτολεμαίου nominari iuberent, denique tertiam esse vellent erroris testem viam inter n. 110 et Panagiam Blastaru interiectam ὁδὸν Πτολεμαίου nominantes.

Ubi igitur suum illi gymnasium Ptolemaei esse volebant, Episcopi aliquando domum fuisse Pittaces scribit in Ephemer. n. 3035 p. 1469. Εἰς τὸν ἐντὸς τοῦ γυμνασίου τοῦ Πτολεμαίου, inquit, παχύτατον τοῖχον, κτισθέντα κατὰ τὸν μεσαιῶνα, καὶ χρησιμεύσαντα εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ τότε ἐπισκόπου Ἀθηνῶν. Praeter Pittacem nemo tradit, Byzantinis aut Francis regnantibus (κατὰ τὸν μεσαιῶνα) sedem ibi habuisse episcopos Athenienses, quorum nomina inscripta alibi, cf. p. 37 sq., Τσιαμί, comparuerunt. Miror unde sua hauserit Pittaces, neque tamen queo refellere aut certis argumentis demonstrare, ubi tunc habitaverint episcopi; cf. p. 40, Erechtheum.

Ex titulis primus afferendus is est, qui in epistylio literis grandibus inscriptus nomina Attali et Apollonidis uxoris eius praebet: βασιλεὺς Ἄτταλος βασιλέως Ἀττάλου καὶ βασιλίσσης Ἀπολλωνίδος*). Ingens trabs etiam nunc iacet ubi effossa est. Magna basis ex marmore C. I. n. 421 p. 454 = Pitt. Ant. Athen. p. 78, in eadem parte urbis**) inventa, haec habet: ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ καὶ ἡ βουλὴ τῶν πεντακοσίων καὶ ὁ δῆμος Ἀθηναίων . . . . Ἀττάλου Φλ. Sed vix credibile in utraque inscriptione eundem Attalum dici.

In epheborum titulis, qui multi et magni apud Pyrgiotissam eruti sunt, illud στῆσαι ἐν ἀγορᾷ quod redit saepius,

---

*) Plerique igitur porticum Attali fuisse existimaverunt, cf. Athen. p. 212 et E. Curtii Stud. Attic. II p. 31. Contra disputans Surmeles, περὶ δήμων p. 176, eam fuisse curiam Quingentorum opinatur.

**) Repertam esse dicunt „prope portam occidentalem", quam aut Móra Kápesi sive Gyftó Portam prope S. Asomatum 117 aut Aslán Kápesi sive Portam Draconis e regione S. Marinae 50 esse existimandum est, ut marmor illud in ea urbis parte fuisse videatur, ad quam Attali porticus vergit.

locum in quo inventi sint partem fori antiquorum Atheniensium fuisse etsi non plane demonstrat at coniecturam eam adiuvat et commendat. Cf. Philistor. I p. 41.

Apollinis Pythii fanum prope Iovis Eleutherii s. Servatoris porticum (in Ceramico) fuisse Pausanias tradit, Att. 3, 4: καὶ πληcίον ἐποίηcεν (Εὐφράνωρ) ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα Πατρῷον ἐπίκληcιν, h. e. τὸν Ἀπόλλωνα τὸν Πύθιον, cf. Leakei et Baiteri Topogr. p. 78 not. 4. Utriusque dei mentionem habet titulus in n. 110 effossus, Ephemer. n. 3772 p. 1939 sqq. = Ἐπιγρ. Ἑλλην. κατὰ τὸ πλεῖcτον ἀνέκδ., ἐν Ἀθήναιc 1860 n. 75 p. 30 sq. Verba inde a lin. 5 haec sunt: ἐπειδὴ τὸ κοινὸν τῶν Αἰτ[ωλ]ῶν ἀποδεικνύμενον τὴν πρὸc τοὺc θεοὺc εὐcέβειαν [ἐψ]ήφιcται τὸν ἀγῶνα τὸν τῶν Cωτηρίων τιθέναι [τ]ῶ[ι] Δ[ιΐ τῶ]ι Cωτῆρι καὶ τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίωι κ. τ. λ. Quae Soteria propter victos an. ol. 125, 3 = a. Chr. 278/7 Gallos quum Delphis agenda essent, decretum quod de ea re Athenienses fecerant, prope Iovis Eleutherii porticum et Apollinis patrii i. e. Pythii templum positum fuisse putandum est.

Curiam Quingentorum, prope Metroum sitam, Pausanias Att. 3, 5 commemorat Iovisque Bulaei signum ibi esse dicit. Etiam Minervae eodem cognomine insignitae statuam in Curia Quingentorum positam fuisse constat; cf. Leakei et Baiteri Topogr. p. 79 not. 8. Ad hos deos pertinet titulus ibidem effossus Ephemer. n. 3786 p. 1945 = Ἐπιγρ. Ἑλλην. κατὰ τὸ πλεῖcτον ἀνέκδ., ἐν Ἀθήναιc 1860 n. 76β cum additamento, ubi haec leguntur ἱερέ[α Διὸc βου]λαίου καὶ [Ἀθη]νᾶc βουλαί[αc Λ]ούκιον Φλά[ο]υιον Φλάμμα[ν] κ. τ. λ.

Post Curiam et, quam vicinam esse aedem dicit, Tholum, Pausanias Eponymos recenset. Signa eorum in loco superiore (ἀνωτέρω, Att. 5, 1) esse, post ea autem quum alia conspici tradit tum Lycurgi statuam aeneam. Itaque qui ad ecclesiam Pyrgiotissae eruti sunt lapides, nomine Lycurgi oratoris insignes, videri possunt indicio esse, Pausaniam Att. 5, 1 in eis locis versari, quae circa n. 110 sita sunt*).

*) Indicia tamen scio non esse argumenta. Quod si quis neget, in foro posuisse Athenienses antiquos decretum Ephemerid. n. 3701 p. 1905, basis illa certe quidem ib. n. 3702, recte ibi collocata fuisse

Etiam titulum C. I. n. 489 p. 473 „in vicinia gymnasii Ptolemaei“ repertum nescio an adhibere liceat, quod ibi legitur: Ἀγαθῇ τύχῃ. Σωτήροιν ἀνάκοιν τε Διοσκούροιν ὅδε βωμός. Quadrata ara est ex marmore, quam a templo Castorum atque Agrauli specu, cf. Pausan. Att. 18, 1, ablatam et in locum inferiorem ad n. 110 portatam credere queas*).

N. 111 et 112.

Aediculae ignotae.

Signum in nostrae tabulae n. 111 propter viam Ptolemaei positum Lithographus Atheniensis numero 107, alterum, quod prope Panagiam Blastaru est, in n. 112 nobis positum, ille in n. 108 esse voluit. Explicare non possumus, nisi quod Christianorum eas aedes fuisse suspicamur et aedes perexiguas, ut ipsa signa docent.

N. 113.

Ἄτλαντες.

Duobus signis perexiguis locum eum designavimus, ubi anguipedes illi sunt, quibus Gorgonibus vel Atlantibus imponi solet nomen**). Conspiciuntur eae statuae, humi depressae, ex via propinqua, quae ὁδὸς Ἐπωνύμων nominatur. Fuerunt enim qui simulacra Eponymorum, cf. Pausan. Att. 5, 2, putarent.

In Ephemeridibus Arch. locus vocatur Φορβαντεῖον***); cf. n. 735 p. 477: εὑρέθη πρὸς τὸ ἀνατολικὸν μέρος τοῦ Φορβαν-

---

videbitur, ubi signum erat oratoris; quamquam non ita disputare licebit, quasi non alius in urbe locus fuerit, in quo ea basis apte poneretur. Ad multas res enim Lycurgi administratio pertinebat.

*) Undique conquisita omnia et congesta esse ad moenia illa exstruenda nemo negabit, ut tota haec causa coniecturalis sit; quae tamen magis in propinquo erant, ea potius sumpta esse existimandum est.

**) Lithographus Atheniensis locum falso indicavit, sui ordinis numero 106 inter Panagiam Blastaru et Eliam posito. Quum non addiderit aedis signum sed aream perexiguam viae Eponymorum continentem in suo n. 106 descripserit, dubium non est, quin anguipedum locum definire sibi visus sit.

***) Cf. Andocid. I 62; Harpocr. v. Φορβαντεῖον p. 182 ed. 1. Bekker. Vide etiam quae in Ant. Athen. p. 95 sq. Pittaces de Atlantibus disseruit.

τείου, οὐ μακρὰν τῆς Ποικίλης Στοᾶς, hoc est non longe a nostrae tabulae n. 110, n. 2291 p. 1181: πλησίον τοῦ Φορβαντείου, πρὸς τὸ ἀνατολικὸν μέρος τοῦ Θησείου; n. 2557 p. 1261: εἰς τὴν πλατεῖαν τοῦ Φορβαντείου, ἔνθα ἵστανται ἐπὶ τῆς ἀρχαίας αὐτῶν θέσεως ὁ Ἐριχθόνιος καὶ ὁ Φόρβας κ. τ. λ.

Anno 1858 antiquarii Athenienses terram circa Atlantes scrutati sunt; cf. Ephem. n. 3289 p. 1737; n. 3294 p. 1739; al.; et Dionysii Surmelis librum περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 179.

Loca inter n. 125 et 114 Rossius in Archaeologicorum t. I p. 155 dicere videtur, ubi scriptor cum Petro Forchhammero et architectis quibusdam, quum anno 1832 in aquae ductum subterraneum descendissent, columnarum aliquot (30 aut plures) scapos duos vel tres pedes altos viderunt, rectos sed non omnes ordine collocatos. Ut canalis, cuius partem a Metropoli 142 usque ad Theseum pertinentem docti illi viri explorarunt, ita fragmenta columnarum ab ortu solis porriguntur in occasum. Porticum Hermarum, τὴν στοὰν τῶν Ἑρμῶν, fuisse Rossius opinatur.

N. 114.
Παναγία Βλασσαροῦ.

Sita est propter Atlantes ad viam Eponymorum eademque tangit extremam viam Ptolemaei.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΒΛΑΣΑΡΟΥ Schaubert.

82 Παναγία Βλαζαροῦ Lithogr. Monacensis.

107 Lithogr. Atheniensis. Emendavi: 105, quia numerus 107 bis legitur in tabula Lith. Athen.

Pittaces in Ant. Athen. p. 94: Βλοσταροῦ; Surmeles περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 179: τῆς Βλασαροῦς; ib. p. 180: ἡ ἐκκλησία Βλασαροῦ; Kohlmannus et Heldricus: Panagía Vlassarú, Βλασσαροῦ.

Scribendum duxi Βλασσαροῦ, non quo improbem alteram formam Βλασταροῦ, sed quia nunc quidem Βλασσαροῦ (sive, quod non multum differt, Βλασαροῦ) pronunciari persuadent amici Athenienses. Incorruptum et vetustius cognomen nescio an Βλασταροῦ sit.

Idem cognomen ea Panagia habere videtur, cuius mentio est apud Anglos, Stuartum et Leakeum. Nominatur Panagia Vlastice s. Vlastorea (Vlastisis); cf. p. 26, Παναγία (Βλαστική),

in nostrae tabulae n. 23 posita. Tertius accedit eodem nomine insignitus ἅγ. Νικόλαος Βλασταροῦ*). Cognomen Βλασταροῦ quum in diversis et numinibus et locis redeat, appellativum**) esse opinamur, ductum fortasse a voce βλαστάνω (germino). Ut segetes in Panagiae Misosporetissae tutela esse volebant, cf. p. 70, ita Panagía Blastarú nominata esse videri potest, quod vitibus praesideret palmitesque (βλαστάριον, palmes) et gemmas augescentes protegeret, ut ad aedem eius, perinde ac Cereri olim ad Eleusinium, mense Septembri gratulatio facienda esset propter vindemiam***).

Quamvis in tanta similitudine nominum dubites utra Panagia, n. 23 an n. 114, dicatur, scriptio tamen cognominis facit ut titulos quatuor †) ad n. 114 inventos esse existimandum sit.

Pittaces l. l. narrat se ibi vidisse lapides Cereris et Proserpinae nominibus inscriptos; cf. p. 92.

N. 115.

Ἅγ. Ἠλίας καὶ Χαραλάμπης.

Sita ecclesia est ad viam Eponymorum.

ΠΡΟΦ ΗΛΙΑΣ Schaubert.

83 Προφ. Ἠλίας Lithogr. Monacensis.

100 Lithogr. Atheniensis.

Exiguae et indecorae aediculae quod nomen esset inter-

---

*) In qua urbis parte aedes fuerit non liquet. Cf. tamen quae in n. 126 p. 106 conieci.

**) Cupidius Pitt. Ant. Athen. p. 94, antiqui nominis (Βλαύτη, τόπος Ἀθήνησιν Hesych.) similitudinem sectatur. Quod dicit Βλασταροῦ nomen regionis esse, Heldrici auctoritate confirmatur. Sed nomen ab ecclesia ad ea quae circa sunt transferri potuit.

***) Panagiae Blassarú dies 8 m. Sept. celebratur, τὸ γενέθλιον τῆς Θεοτόκου. Octavus autem dies mensis Septembris, ut Graeci agunt, paucis diebus ab aequinoctio distat, quod an. 1865 et 1866 in d. 11 m. Sept. incidit. Iustum vindemiae incipiendae tempus esse Σταυροῦ aiunt i. e. d. 14 m. Septembris (ἡ ὕψωσις τοῦ τιμίου Σταυροῦ) sive, ut nos dies numeramus, d. 26 m. Sept.

†) C. I. n. 184 p. 315 prope Παναγίας τοῦ Βλαστάρου, Spon et Corsini; n. 592 p. 496 in ecclesia Παναγίας τοῦ Βλασταροῦ, Chandler et Fourmont; n. 651 p. 502 ad Παναγίας τοῦ Βλασταροῦ, Fourmont; n. 973 p. 510 in ecclesia Beatae Virginis Βλασταρᾶ, Fourmont.

roganti mihi responderunt Eliae et „Charilampis" esse; scribendum autem Charalampes, Χαραλάμπης, gen. Χαραλάμπους, ut in Calendario Χαραλάμπους ἱερομάρτυρος nomen fertur diei 10 m. Februarii. Cf. Martyrologii metrici, a Sibero editi, p. 55 et 302. — Duplex ecclesiae nomen Kohlmannus confirmavit.

„Circa fines Athenarum in ecclesia Sancti Χαραλαμποῦ" a Fourmonto inventus est titulus C. I. n. 526 p. 484: ὅρο[ς] τεμένο[υ]ς Ἀθηναίης.

N. 116.

Ἅγ. Γεώργιος, **Theseum.**

Thesei templum S. Georgio dedicatum in ecclesiamque ab Christianis conversam esse Babinus, an. 1672, scribit. Fores raro, inquit, aperiuntur, nam Turcae impediunt quo minus frequentent Christiani; sacra autem ibi facere ipsi nolunt, quod locus extra moenia situs est; cf. Labordii Athen. I p. 192. — Anonymus Labordianus quoque S. Georgii in Theseo ecclesiam nominat, quem scriptorem aequalem Babini fuisse editor, ib. p. 80, suspicatur.

22 Tempio di Teseo, Agios Giorgios cet. Coronelli.

Schaubertus supra ΑΓ ΓΕΩΡΓΙΟΣ, infra ΝΘΗΣΕΩΣ scripsit.

Saeculo XVII non intra urbem fuisse, moenibus tunc inter Theseum et urbem interiectis non solum Babinus l. l. auctor est, sed etiam Veneti illi demonstrant qui an. 1687 cum Mauroceno ad Athenas profecti urbis situm tabulis illustrarunt*).

Christianorum mortuorum aliquot elogia, in parietibus Thesei insculpta literis pessimis, edidit Pittaces in Ephemeridum n. 1599 sq. p. 939; n. 2449 sqq. p. 1214 sqq.; n. 3468 sqq. p. 1809 sq., quae pleraque scripta sunt saeculis X, XI, XII. Annos in eis titulis Christiani adscripserunt, qui Anni Mundi vocantur, sunt vero etiam in quibus praeter annum mundi Indictionem significaverint**).

*) Vide urbem adumbratam ab Anonymo Fanelliano, apud Fanellium p. 313; tabulam Comitis Sancti Felicis, ib. p. 317; [Vernedae] prospectum, libri Labordiani t. II p. 170 annexum in Additamentis.

**) Rationem temporum non ubique constare video ut in n. 1599 et 1600 miror, qui repererit editor annos 499 et 492, post Chr. nume-

Die tertio post pascha ad Theseum homines congregantur, qui dies appellatur αἱ τριάντα δύο κολώναις; tot enim in templo columnae numerantur.

Virtus autem occulta, ut fert opinio, et vis quaedam inest in loco, olim Theseo, postea S. Georgio dedicato, qua homines sanari morbos credunt. Vel equos morbo aegros circum templum bis terve ducere solent sperantes fore ut leventur aut convalescant.

In titulo prope Theseum reperto, C. I. n. 70c, haec leguntur inde ab linea 20: ἐν ἀγορᾷ τῇ Σκαμβωνιδῶν. Scambonidarum hoc forum, inquit editor, videtur in vicinia templi Thesei fuisse*).

S. Spyridonis ecclesiam in propinquo fuisse etsi traditum est vix adducor ut credam**).

---

ratos. In n. 1600 indictionis annus VIII non congruit cum eius tituli anno p. Chr. 492, quem computando eruit Pittaces. Nam mensis, qui est in titulo Februarius anni p. Chr. 492 incidit in indictionis annum XV. Sollicitat id quoque quod ultra Iustiniani regnum isti anni ascendunt.

*) Res dubia est. Nam lapidem ibi semper fuisse, quis deieret? Bursianus in Geogr. Gr. I p. 275 quod negat forum dici, vocem ἀγορᾷ ad homines congregatos referens, mihi non persuasit. Ceterum Bursianus quoque ita disputat, ut Scambonidas non procul a Theseo fuisse suspicetur, ad septemtriones versus. Eodem fere in loco Pittaces esse vult, cf. Ephemer. n. 585 p. 423. Ea autem pars urbis etiam nunc suum quoddam forum habet — Ψυρί (Pitt. Ant. Athen. p. 496; Ephem. n. 2714 p. 1361) vocant — ut quod olim fuerit nunc quoque sit mutato nomine.

**) Solus eius rei auctor Pittaces est; vide Ant. Athen. p. 89. Post Thesei templum enumerat aedem nescio quam S. Spyridonis ubi olim fuisse aram Connidae Thesei magistro dedicatam suspicatur. In p. 91 transit ad S. Philippum. Non dicit S. Spyridonis ecclesiam (ex Schauberti tabula in nostram relatam, n. 109 adscripto) quae longius remota a Theseo nec idonea est coniecturae Pittacis, quae locum flagitare Theseo vicinum videtur.

Caput XIV.

Pars urbis inter S. Asomati aedem et puteum κάτω Συντριβάνι sita.

N. 117.

"Αγ. 'Αcώματοc.

Sita est in extrema parte urbis ad occasum versus, ubi nunc via perpetua Mercurii desinit et a Piraeo in urbem introitur.

ΑΓ ΑΣΩΜΑΤΩΝ Schaubert.

79 ἅγ. 'Αcώματοc Lithogr. Monacensis.

126 Lithogr. Atheniensis.

Pluralem Schaubertus, singularem Lith. Mon. scripsit, usu loquendi minus constante, ut conventum illum extra urbem situm Pittaces in Ant. Athen. p. 202 singulari numero nominat: „Assomatos", plurali autem in Ephemer. n. 1744 p. 993: οὐ μακρὰν τῆc Μονῆc τῶν 'Αcωμάτων Πετράκη. Plurali Lenormantus quoque utitur in tabula quam „Viae Sacrae" parti I subiecit. Etiam Asomatus Chilá 135, singulari solitus appellari, in Ephemer. n. 287 p. 264 plurali significatur. — Emendatius quidem dicitur pluralis, quoniam ecclesiae hoc nomine insignes omnibus angelis dedicatae sunt. Cf. p. 85 not. **.

M. Martio an. 1837 in propinquo inventum est monumentum Eubulidis, τὸ μνημεῖον τοῦ Εὐβουλίδου. Cf. Rossii Archaeologicorum I p. 145; Ephemer. n. 1660 p. 978; Forchhammeri Topogr. p. 300.

N. 118.

Aedes ignota.

Sita fuit in loco aperto e regione portae, ubi duae viae ad occasum versus desinunt, ὁδὸc Cάρη et ΟΔΟΣ ΑΣΤΥΓΓΟΣ *). Adscripto numero 130 signum praeivit Lithographus Atheniensis. Quum apice inter orientem et meridiem spectante instruxerit, dubitari non potest, quin ecclesiam significarit,

*) Qui accentus sit nescio.

cuius nomen nunc in oblivionem adductum est. Ne signum quidem in ulla tabula expressum reperimus.

N. 119.

"Αγ. Cωτήρ.

Fuit ad viam, quam ὁδὸν "Ηβηc nominari iusserunt; ex eo loco ubi ecclesia fuit, in tramitem introspicitur; nominaverunt ὁδὸν Δίοδον.

Signum Schaubertus posuit nomine nullo.

78 ἅγ. Cωτήρ Lithogr. Monacensis, cuius in tabula pro n. 78 legitur 8.

127 Lithogr. Atheniensis.

N. 120.

Aedes ignota.

Lithographus Atheniensis in sui ordinis numero 122 signum quadratum posuit ad viam cuius nomen ΟΔΟΣ ΑΣΤΥΓΓΟΣ publice inscriptum est in compitis. Nomen aedificii non comperimus. Sequimur tamen praeeuntem Lithographum signumque eius in nostrae tabulae n. 120 exprimimus, aediculam aliquam Christianorum ibi fuisse rati.

N. 121.

Res ignota.

Inter nostrae tabulae signa n. 120 et 122 instructa numerum sine signo vides 121, quem pro Lithographi Atheniensis numero 124 substituimus. Nescimus an aliquod monumentum antiquum, doctorum coniectura ibi collocatum, aut terminus regionis ut Ceramici interioris in n. 121 creditus, significetur in tabula discipuli Pittacei.

N. 122.

"Αγ. Νικόλαοc Μαγγανάριαc.

Fuit inter aedes Philippi 125 et Christocopidis 164 fere interposita. Viam amplam et rectam, ὁδὸν 'Ερμοῦ, quum per ea loca patefacerent, funditus deleverunt ecclesiam Nicolai Manganariae.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

123 Lithogr. Atheniensis.

Manganaria trochleae graece vocantur, quibus situlas aqua repletas tollunt ex puteis habitabantque qui trochleas fabricabantur circa aedem Nicolai 122, ut nunc quoque in viis propinquis sellae sunt fabrorum ferrariorum aliorumque opificum.

N. 123.

῾Αγ. Οἰκονόμος s. ᾿Αγαθόκλεια.

Sita fuit ubi nunc via Mercurii est, non longe a Magno Monasterio 128.

ΑΓ . . . . Ν . ΜΟΥ Schaubert. Fuit ΑΓ ΟΙΚΟΝΟΜΟΣ; genitivis non uti solet Schaubertus. Extrema litera quae quum Athenis Schaubertiana describerem Υ esse videbatur, Σ est sine dubio, usu et vetustate detritum.

Omisit Lithogr. Monacensis.

134 Lithogr. Atheniensis. Quum in tabula Lithogr. numerus 134 in aede Athanasii (n. 174 nostrae tab.) redeat, alteruter numerus falsus est. Emendare libuit hunc locum idque ita ut pro n. 134 substitueremus 118.

„Agia Oeconomou sive Agia Agathocleia“ a Pittace in Antiq. Athen. p. 497 ita commemoratur, ut nomen dicatur regionis esse. Apparet autem ab ecclesia locis circa sitis appellationem indi potuisse. L. l. quum enumeratio aedium ad orientem versus procedens p. 502 ad Magnum Monasterium 128 perveniat, aedi S. Oeconomi sive S. Agathocleae is situs tribuendus erit, qui in Schauberti tabula literis illis exesis ΑΓ . . . . Ν . ΜΟΥ insignitus reperitur nec dubitari potest quin suppleri oporteat ῾Αγ. [Οἰκο]ν[ό]μο[[c]]. Afferre id quoque licebit, quod in Ephem. n. 2686 p. 1336 Pittaces narrat, Graecis bellum cum Turcis gerentibus se cum vicinis tabulam in qua S. Agathoclea picta fuisset, a vi hostium servasse Salaminaque asportasse; post victos Turcas autem relatam tabulam posuisse in Magno Monasterio, quod propinquum esset (ἐν τῇ παρακειμένῃ ἐκκλησίᾳ, ἐπικαλουμένῃ Μεγάλον Μοναστῆρι).

Memoria ecclesiae 123 etsi ne nunc quidem plane deleta est, nemo tamen anno 1866 S. Oeconomi aut S. Agathocleae nomen mihi dixit sed Agiae, τῆc ῾Αγίαc *); quod confirmatur

*) Nomen τῆc ῾Αγίαc Fr. Schmidtius, hortorum regiorum prae-

semitae quae prope abest appellatione. Nam inscriptum publice legitur ibi ὁδὸς Ἁγίας *).

Ad occidentem versus posita palma**) centum metra Gallica ab aede 123 distabat. Nunc nulla est, locus tamen εἰς τὴν Χουρμαδιάν nominatur.

D. 17 m. Septembris S. Agathocleae est, quem agi solitum Athenis in Ephemer. p. 1336 Pittaces narrat. In fastis quidem is dies dicitur Σοφίας μάρτυρος καὶ τῶν τριῶν αὐτῆς θυγατέρων Πίστεως καὶ Ἐλπίδος καὶ Ἀγάπης, omissa Agathoclea. Sed in Siberi Martyrologio p. 300 est: Sept. XVII Ἀγαθόκλεα***) πῦρ ἐπ' αὐχένος φέρει, δεινῆς πλάνης φλέγουσα δεινὸν αὐχένα.

Perraro ecclesia 123 in Ephemeridibus Archaeologicis commemoratur; cf. n. 2810 p. 1397: εἰς τὴν συνοικίαν τῆς ἁγ. Ἀγαθοκλείας. Quamquam quae Pittaces domi se reperisse dicit ad n. 123 referenda sunt, ib. n. 3531 sq., 3540, 3543. Paginae sunt 1841, 1844 sq.

Vetustiores saepius nominant. Cf. C. I. n. 261 p. 365 in pila prope ecclesiam Agia Konom, Dodwell; n. 371 p. 435 Athenis in ecclesia quae Ἁγία Κάνον vocatur, Fourmont; n. 414 p. 452 in ecclesia Agia Conom, Dodwell; n. 699 p. 507 in ecclesia Ἁγίας Κανόν vocatā. — Hi omnes mutilaverunt nomen τῆς ἁγίας Οἰκονόμου.

N. 124.

Ἁγ. Παρασκευή.

Lithographus Atheniensis, numero (fortasse 119) omisso aedificii signum posuit in trivio ubi trames Nisi (ὁδὸς Νίσου) viam Vulcani tangit. Ecclesiam in eis compitis sitam quum nemo alius commemoret, haesi nescius, quod nomen fuisset, dum Kohlmannus tenebras discussit. Num ex vicinis cognoverit, aedem Parasceves fuisse, non addit.

---

fectus, quum dixisset, homo Graecus quidam, qui e regione habitat in via Mercurii, confirmavit.

*) Neque enim ἀγυιὰν subesse credo, quae erat docti cuiusdam hominis coniectura. Aliam in propinquo viam ὁδὸν Ἀρτέμιδος forsitan appellaverint propterea, quod S. Agathoclea successisse Dianae videbatur. Cf. Pittacis Antiq. Athen. p. 500.

**) Cf. Fiedleri Itineris Graeci vol. I pag. 7.

***) Scribendum fuit Ἀγαθόκλεια.

N. 125.

Ἅγ. Φίλιππος.

Sita est in compitis propter tramitem qui a S. Philippo nomen habet, unde et in viam Hadriani et in Vulcani pervenitur. Continuus autem ibi auditur malleorum sonitus, quod in eis locis fabri habitant.

In Schauberti tabula non reperio.

81 ἅγ. Φίλιππος Lithogr. Monacensis.

120 Lithogr. Atheniensis.

Couchardus adumbravit in tabula 2 Delectus ecclesiarum Byzantinarum. In commentariis ib. p. 13 dicit tunc, an. 1842, vetustate collapsam esse atque ruinam minari. Anno 1866 renovatam vidi. Propter aedem fons erat cum puteali, quod item videbatur nuper factum esse.

Quae in Actis Apostolorum 8, 30 sqq. traduntur, Athenas tralata esse ex Anonymi Viennensis scripto intelligitur. Is posteaquam templum § 2 commemoravit, quod Thesei esse interpretes putant, ineunte § 3 haec tradit: κατὰ ἄρκτον δὲ τούτου (τοῦ βωμοῦ i. e. templi Thesei, ut videtur) ὑπῆρχεν ἡ πρώτη ἀγορὰ *) τῆς πόλεως, εἰς ἣν ὁ ἀπόστολος Φίλιππος τὸν γραμματέα ἐβύθησεν (γρ. ἐβύθισεν), Labord. Athen. I p. 18 = Ross. Archaeol. I p. 251. Antiquum forum quum a Theseo ad septemtriones vergere vellet Anonymus, aream aedis S. Philippi 125 complectebatur, quippe quae inter septemtriones et orientem spectaret **).

In inscriptionibus tractandis S. Philippi ecclesiam nonnunquam commemorant. Cf. C. I. n. 891 p. 526; n. 1026 p. 549; Ephemer. n. 2170 p. 1130; n. 3783 sq. p. 1943 sq.; n. 3793 p. 1947. Saepius tamen quae in ea parte urbis reperta sunt, non procul a Thesei templo fuisse dicunt.

Titulus cuius in linea 3 Pittaces Ant. Athen. p. 78 Leo-

---

*) Cum hac re non confundenda est quaestio, quid secutus sit Schaubertus forum significans voce ΑΓΟΡΑ inscripta inter vias Caraïscacis et Dianae. Cf. n. 164, Χριστοκοπίδης.

**) Fallitur Labordius l. l. p. 27, quum dicit ecclesiae S. Philippi parietinas esse ubi nunc mercatum habeant Athenienses. Nam quae in Bazari prope turrim Elgini Angli conspicitur aedes ruinosa non S. Philippi est sed Magnae Panagiae 138.

corii mentionem esse contendit, dubiae fidei videtur. Cf. Rangabis Antiq. II n. 1166 p. 768.

N. 126.

"Αγ. Νικόλαος.

E regione fuit ecclesiae S. Philippi 125.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

80 ἅγ. Νικόλαος Lithogr. Monacensis.

121 Lithogr. Atheniensis.

Quum locis circa Panagiam n. 114 nomen esse Βλασσαροῦ (Βλασταροῦ) dicant, incertum est an ecclesiae n. 126, in ea fere regione sitae, idem fuerit cognomen. Cf. C. I. n. 95 p. 135 „Athenis, apud Nicolaum Βλασταροῦ" Fourmont.

Caput XV.

Media pars urbis, a porticu Hadriani ad orientem spectans.

N. 127.

a. Τσιαμὶ τοῦ κάτω Συντριβάνι.
b. **Porticus Hadriani.**
c. "Αγ. Ἀσώματος.

Templum Mohametanorum τοῦ κάτω Συντριβάνι h. e. putei inferioris, tempore recentiore*) quam cetera aedificatum esse, vel ex hoc intelligi potest, quod non reperitur in tabulis Venetorum, qui Athenas an. 1687 captas descripserunt**).

Ante templum 127a exstructum S. Nicolai ibi fuisse sedem dixerunt ii, a quibus an. 1866 sciscitatus est G. Kohlmannus.

Porticum Hadriani in n. 127b punctis designamus inter

*) Annus 1780 tamen, qui traditur, in dubitationem vocari potest. Cf. p. 45 not. †, "Αγ. Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης.

**) Vide urbis a Comite Sancto Felice descriptae literam Q, quae in indice explicatur his verbis: Tempio di Gioue Olimpio. In ea litera formam porticus Hadriani expressam habes columnasque ordine positas conspicis, non adiuncto templo Turcico.

templum Mohametanorum et ecclesiam interpositis. Vetustiores Templum Iovis Olympii aut Poecilen nominant, Sponius (cf. Labord. II p. 15), Stuartus (in tabula urbis), alii; nunc porticus Hadriani, τῆς Cτοᾶς τοῦ Ἁδριανοῦ, usurpant nomen, ut Pittaces in Ephemer. n. 283 p. 263 πλησίον τῆς Cτοᾶς τοῦ Ἁδριανοῦ; cf. n. 222 p. 1154; n. 2550 p. 1260; aut, loca ad orientem complexi, quadratam aedificationem, τὸ τετράγωνον τοῦ Ἁδριανοῦ, loquuntur; cf. p. 113, Μεγάλη Παναγία.

Applicatam ad porticum ecclesiam in n. 127 c significamus.

ΑΓ ΑΣΩΜΑΤΟΣ Schaubert.

Lithographi Mon. et Athen. omiserunt.

Asómatos Taxiárchis G. Kohlmann, in indice quem mihi misit.

Commemoravit Pittaces in Ant. Athen. p. 100 et Aldenhovenus in Itinerarii p. 20, unde intelligitur anno 1840 nondum deletam fuisse ecclesiam. Nam ineunte anno 1841 Aldenhovenus eum librum absolvit. Formae sanctorum etiam nunc conspiciuntur pictae in pariete porticus.

N. 128.

Παναγία, μεγάλο μοναστήρ.

Aedes propter viam Mercurii sita est. E regione via Minervae introspicitur; post aedem Panagiae forum olitorium patet.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΜΕΓΑΛΗ ΜΟΝΑΣΤΗΡ Schaubert. Scribend. ΜΕΓΑΛΟ.

Omisit Lithogr. Monacensis.

136 Lithogr. Atheniensis.

Pittaces in Ant. Athen. p. 502 Μεγάλο Μοναστήρι; in Ephemer. n. 520 p. 396 τὸ μεγάλον Μοναστήρι; ib. n. 1890 p. 1023 Παναγίαν Μεγάλου Μοναστηρίου nominat.

Chandlerus quum titulum C. I. n. 549 p. 490 ad Monasterium τῆς Παναγίας se vidisse dicit, Magnum Monasterium 128 dicere videtur.

Nunc vocant Μοναστηράκι.

Conditam ecclesiam esse anno p. Chr. 1630, Pittaces in Ephem. p. 396 scribit, cuius anni fides peneś auctorem erit. Ego vero facile adducor ut anno 1630 conditam credam. Nam quam anno 1672 Babinus ap. Labordium I p. 194 commemorat ecclesiam pictura et auro inducto splendescentem,

recentiorem apparet nec ita multo ante conditam describi. Nempe fuerit haec de qua commentamur. Magni monasterii ecclesiam Babinus appellat adiunctumque hospitium ait esse monacharum ordine et lege S. Basilii obligatarum, quo aedificio nihil cogitari posse vilius aut tenuius. Monacharum autem conventum ibi fuisse intelligitur ex C. I. n. 523 p. 481, qui titulus repertus est „in conventu monacharum prope Poecilen dictum locum". Scilicet Poecilen tunc putabant in propinquo fuisse. Cf. Stuarti Antiq. III post p. VI et Mülleri Descr. Athenarum in Erschii Encycl. I 6.

Couchardus Architectus in Delectu Eccles. Byzant. adumbravit aedem 128 in Tabula 4. Inserta sunt columnarum aliquot capitula ordinis Corinthii, quae latericio opere sic inclusa conspiciuntur ut et in antica et in postica parte facile appareant ornamentoque sint. Ex porticu Hadriani sumpta esse *) fragmenta columnarum videri possunt.

De titulis ad aedem aut ad vicinum monasterium repertis non idem erit iudicium quod de aliis. Si aedes anno 1630 condita est neque auctorem fefellit opinio, saeculo XVII non tanta erat antiquitatum, fragmentorum, tabularum politarum copia quanta fuerat iis temporibus quibus pleraeque ab Christianis ecclesiae Athenis aedificabantur. Facile igitur fieri poterat ut quae opus essent undique conquirerentur et coëmerentur nec solum ex propinquo (ut ex porticu Hadriani) sed etiam ex longinquo caementa, abaci, laminae comportarentur. Accedit hoc quoque. Aedem Panagiae cum hospitio non sui iuris sed in dicione Caesarianorum fuisse comperi, quorum in Hymetti radicibus occasum solis spectantibus sedes erat, nomine Καισαριανή sive Κυριανή. Cf. Ussing, Inscr. Gr. Havn. 847 p. 63; C. I. n. 385 p. 441; Stuarti Antiq. III, post p. XXV, et p. XVI. Huius monasterii in Hymetto monte siti appendicula **) aedes Panagiae 128 Athenis erat. Itaque quum Caesarianorum monachorum sumptibus Athenis illa aedificia exstruerentur, fieri poterat ut si qua ad aedificandum

*) Perquam dubia res est.

**) Quum altera quoque appendix Monasterii Hymettii Athenis fuerit aedes S. Nicolai, nostrae tabulae in n. 143, incertum est, in utra inventus sit titulus, C. I. n. 183 p. 314. Is fuisse dicitur „Athenis in loco monasterii Cyriani appendice" Fourmont.

utilia ipsi in Hymettii radicibus haberent in plaustra imposita Athenas deveherent. Haec praemonui propter titulos Ephem. n. 520 p. 395 et C. I. n. 523 p. 481, qui non in urbe primo positi esse videntur, sed ruri, fortasse in radicibus Hymetti prope Caesarianam. In illo, qui fuit in pavimento ecclesiae, mentio fit Caesarianorum, Ephem. n. 520 lin. 16 τῶν Καιcαριανῶν, lin. 24 sq. το[ῖc] Καιcαριανοῖc, in hoc sacra mensium diebus additis enumerantur, quae non esse urbana sed agrestia*) interpretes viderunt.

N. 129.

Aedificium ignotum.

Fuit ubi quae semita est ὁδὸc Βραχεῖα nominatur.

Nemo designavit nisi Lithographus Atheniensis et is negligenter, non uno sed duobus numeris, 15 et 152, adscriptis. Verus numerus fortasse 152. Numerus 15 autem, vel potius 155 aut 156, vindicandus Panagiae (nostrae tabulae in n. 130 significatae). Substituimus nostri ordinis n. 129.

Quum Lithographus in forma aedis apicem expresserit, ecclesiam designari credimus, etiamsi non ad ortum solis apex spectat sed ad meridiem.

N. 130.

Παναγία.

Fuit ad Plateam Panteleemonis.

ΠΑΝΑΓΙΑ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

Pentagono Lithogr. Atheniensis significavit, numero, fortasse 155, omisso. Quum Schaubertus ecclesiae Graecae formam posuerit Panagiae adscripto nomine, nihil moramur pentagonum Lithographi.

Cippum Ephemer. n. 1781 p. 1000 editor se invenisse ait εἰc τὴν βόρειον πλευρὰν τοῦ τετραγώνου τοῦ Ἁδριανοῦ παρὰ τὴν ἐκκληcίαν καλουμένην Πελεκαρίχη, ἣν νῦν κατέcτρεψαν, quae verba anno 1853 scripta sunt. Quum is fere situs describatur, qui est ecclesiae 130 et Panagiae cognomine aliquo insignitae esse soleant, nescio an in n. 130 fuerit Παναγία Πελεκαρίχη.

*) Index est sacrificiorum, inquit Boeckhius, statis diebus ex singulari quodam praescripto offerendorum, sed minorum atque ut videtur rusticorum, maxime panium.

At ignota in propinquo est aedes in n. 129 et ipsa ad septemtriones versus ab Hadriani porticu sita. Quidni hanc dici credimus in Ephemeridum p. 1000? Omnino licet credere, sed non eodem iure, quia aedis 129 nomen nescimus. Nescimus igitur ex eone numero nomen fuerit quibus cognomina addi solent. Praeferenda igitur ecclesia 130; quam quoniam constat Panagiae fuisse, aliquid cognominis habuisse verisimile est.

N. 131.
Τεκές.

Fuit ubi plateam Panteleemonis et viam Aeoli nuper patefecerunt. A fano Turcarum 131 ecclesia Panteleemonis tramite separabatur eaque aedificia ex regione sita erant. Nunc fanum demoliti sunt, ecclesiam everterunt, locorum faciem prorsus immutarunt.

Signo et nomine nostram tabulam auxit Kohlmannus. Nulla enim apud Schaubertum aliosve eius fani mentio.

Cf. p. 85, Τεκές.

N. 132.
Ἅγ. Παντελεήμων.

Sita fuit ubi area nunc patefacta est cum puteo admodum pulchro, Πλατεῖα Παντελεήμονος. Auctiones ibi habentur publice constitutae.

ΑΓ ΠΑΝΤΕΛΕΗΜΩΝ Schaubert.
Omisit Lithogr. Monacensis.
137 Lithogr. Atheniensis.

N. 133.
Σοφτὰ Τσιαμί.

Softá Djamí, templum ligneum, situm prope puteum Anosyntribáni h. e. puteum superiorem, nomen habuit ab eo homine, in cuius fundo exstructum erat.

„Softás" et „Softá Djamí" latinis literis Kohlmannus scripsit. Inde graecum nomen feci Σοφτὰ Τσιαμί.

Nunc et puteum et templum ligneum deleverunt.

N. 134.
Ἅγ. Γρηγόριος.

Ad Pandrosi viam, inter Metropolim et extremam semitam

quam ὁδὸν Ἀμβλεῖαν nominant, aedem nemo significavit praeter Kohlmannum, qui a vicinis sciscitatus rem et nomen comperit.

N. 135.

Ἅγ. Ἀσώματος Χειλᾶ.

Ὁδὸς Ἀμβλεῖα trames est inter Pandrosi et Hadriani vias. Propter fuit ecclesia 135.

ΑΣΩΜΑΤΟΣ ΑΙΚΛ? ΧΙΡΑ? Schaubert. Quum nomina describerem, de lectione obscurarum literarum ΑΙΚΛ vel ΧΙΡΑ dubitabam. Verum nomen tunc nondum didiceram ex tabula Monacensi ceterisque adiumentis, quorum postea copia fuit. Schaubertus sine dubio ΧΙΛΑ scripsit.

44 Ἀσώματος Χίλα Lithogr. Monacensis.

73 Lithogr. Atheniensis.

Pittaces in Ant. Athen. p. 112 scripsit: „Assomatos Chila"; in Ephemer. n. 1889 p. 1023 Ἀσώματος Χειλᾶ; ib. n. 287 p. 264 πλησίον τῆς Ἐκκλησίας τῶν Ἀσωμάτων *) τοῦ Χειλᾶ. Itaque non Χίλα (Mon.), sed Χειλᾶ scribendum duxi.

Chila nescio an corruptum sit ex nomine archangeli Michaëlis, quod Μιχαὴλ graece pronunciatur Michaïl ut vocalis a, syllaba extrema accentu corroborata et producta, obscuretur et obtundatur. Michaëlem autem potissimum dicunt ἀσώματον **).

Titulum in Ant. Athen. p. 113 et Ephemer. n. 287 p. 264 editum, apud S. Asomatum Chilá se invenisse dicit Pittaces. Daduchiae ibi mentio est.

N. 136.

Ἅγ. Νικόλαος Καλλογριόνη ***).

Sita ecclesia fuit inter vias Capnicaraeae et Mnesiclis.

---

*) De singulari et plurali cf. p. 101, Ἅγ. Ἀσώματος. Ceterorum autem locorum consensu nec pluralis nec adiunctus genitivus (τοῦ) commendatur.

**) Vide p. 86 not. *. In ipso quidem vocabulo nihil est quod non ad omnes angelos pertineat. Cf. Clementis Alex. Fragm. IV p. 8 Klotz = p. 337 Sylburg: τὰ δαιμόνια ἀσώματα εἴρηται, οὐχ ὡς σῶμα μὴ ἔχοντα· ἔχει γὰρ καὶ σχῆμα κ. τ. λ.

***) Cognomen ab aliis aliter scribitur Καλλογριόνη, Καλλογριώνη, Καλογράνη. Quae vera forma sit, non liquet.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

48 (imo 45) ἅγ. Νικόλαος Lithogr. Monacensis.

74 Lithogr. Atheniensis.

Cognomen tradunt Surmeles, περὶ δήμων p. 101: Καλογράνης, ὅστις ἔκτισε τὴν ἐκκλησίαν τοῦ ἁγίου Νικολάου, ὀνομασθεῖσαν ἀπὸ τοῦ κτίτορος Καλογράνη, ἥτις ἐν τῇ ἐπαναστάσει κατεδαφίσθη ὑπὸ τῶν πολεμίων, et Pittaces, in Ephemer. n. 1863 p. 1019: ηὗρον αὐτὴν (τὴν ἐπιτύμβιον στήλην) εἰς τὸ ἀνατολικὸν τοῦ τετραγώνου τοῦ Ἀδριανοῦ, παρὰ τὴν ἐκκλησίαν καλουμένην ἅγιος Νικόλαος Καλλογριόνη, ἥτις νῦν (an. 1853) κατεστράφη. Dubitari non potest, quin situs aedis 136 describatur. Accedit quod perangusta semita*), quae oritur ab area, ubi Nicolai 136 aliquando ecclesia fuit, ὁδὸς Καλλογριώνη nominatur.

N. 137.

Ἅγ. Σωτήρ.

Fuit in amfractu viae Capnicaraeae, non procul a puteo Ano-syntribani.

ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.

46 ἅγ. Σωτήρ Lithogr. Monacensis.

72 (rectius fortasse 75) Lithogr. Atheniensis.

Quam S. Servatoris aedem in media parte urbis esse ait Rangabes Antiquit. I n. 7 p. 13, eam dicere videtur, quam in nostrae tabulae numero 137 significavimus**).

Fragmenta columnarum ordinis Ionici et alias alicuius fani reliquias insertas fuisse consentiunt Rangabes l. l. et Pittaces in Ephemer. n. 101 p. 241 (imo 141). Iidem negent, in Lycabetto monte inventam esse inscriptionem in C. I. n. 22 p. 38 editam; non in Lycabetto fuisse sed prope aedem 137.

N. 138.

Μεγάλη Παναγία.

Sita est in Bazari, post turrim 139 ab Elgino Anglo exstructum.

---

*) In tabulis ceterorum eius semitae ductum non reperio; Calerges designavit sed ita ut quid velit vix assequi possis.

**) Si nunc quoque manet domus Patusae Atheniensis, unde prope abesse vel potius abfuisse ecclesiam scribunt, res diligentius explicari atque omnis dubitatio tolli poterit.

ΜΕΓΑΛΗ ΠΑΝΑΓΙΑ Schaubert.
55 Μεγάλη Παναγία Lithogr. Monacensis.
76 Lithogr. Atheniensis.

Hac aetate quum urbis solum congesta humo exaggerarent, aedem paene obruerunt; iacet tanquam sepulta gradibusque sex nunc descenditur. Couchardus architectus tholum, quem solum tunc eminuisse ex terra dicit, in Delectu Ecclesiarum Byzantin. adumbravit. Cf. eius libri tabulam III et pag. 13.

Quum aedis situs is sit, ut magnis illis cingatur muris, quae parietinae esse porticus Hadriani videntur, tres columnas ordinis Corinthii, in parietes insertas, in ea porticu olim fuisse iudicaverunt. Carreyus an. 1674 depinxit in tabula; cf. Labordii Athen. I p. 167. Duas obrutas esse parietinis et fragmentis, tertiam in ecclesiam S. Anargyrorum (132?) tralatam Pittaces scribit in Ant. Athen. p. 100, qui liber an. 1835 editus est.

Anno 1833 aedes Magnae Panagiae pro museo erat antiquariis monumenta tunc reperta ibi asservantibus. Cf. Ephem. n. 2685 p. 1336.

In titulis tractandis ecclesiae mentio, cf. Ephem. n. 3741 p. 1919, rara, quod antiquis nominibus et planius et honestius locum sibi visi sunt significare, ut Ephem. n. 344 p. 293 πλησίον τοῦ τετραγώνου τοῦ Ἁδριανοῦ; n. 521 p. 396 ἐντὸς τοῦ τετραγώνου τοῦ Ἁδριανοῦ; cet. Etiam porticum Hadriani Pittaces nominat*), quae pars est quadrati aedificii, τοῦ τετραγώνου, siquidem columnae 127b significantur; nam vox porticus etiam latius patet ut totam aedificationem quadratam comprehendat nec differat a tetragono.

Gymnasium Hadriani, quod circa Metropolim 142 fuisse quum alii tum Pittaces censuit, cf. Ant. Athen. p. 103, vix est quod moneam a porticu quadratoque aedificio Hadriani distinguendum esse.

N. 139.

Πύργος τοῦ Ἔλγιν.

Turris in medio Bazari est cum horologio.
Omisit Schaubertus.

*) Cf. p. 106 sq., Τσιαμὶ τοῦ κάτω Συντριβάνι.

56 Πύργος τοῦ Ἔλγιν Lithogr. Monacensis.

Signo denotavit Lithogr. Atheniensis, numero non adscripto.

N. 140.

Aedificium ignotum.

Inter Magnam Panagiam 138 et Eliam 102 fere interposuit signum Lithogr. Atheniensis numerumque adscripsit 77. Signum est sex lateribus, mira figura. Neque tamen erroris hominem arguere audemus nosque quid aedificii fuerit nescire fateri malumus.

N. 141.

Τοῦ Βοϊβόνδα τὸ κωνάκι.

Lithographus Atheniensis sui ordinis numerum 115 inter porticum Hadriani et Eliam scripsit, signo nullo. Pro illius n. 115 nostrum n. 141 substituimus *).

In n. 141 fuit praetorium Turcicum, ubi habitabat ὁ βοϊβόνδας (pronunciatur voivodas). Anonymus Viennensis praefecto Turcarum speciosius nomen imponit polemarcho; § 2 καὶ πλησίον τούτων (τῶν παλατίων τοῦ Θεμιστοκλέους) εἰσὶν οἱ λαμπροὶ οἶκοι τοῦ πολεμάρχου. Cf. Rossii Archaeologic. I p. 258.

Caput XVI.

Metropolis (minor) cum aedibus propinquis.

N. 142.

Μητρόπολις.

Metropolis minor sive antiqua 142 sita est propter eum locum ubi aliquando Nicolaus 143 fuit, nunc Metropolis maior sive nova est, una omnium Athenis maxima et notissima ecclesia.

*) Quod apud Lithographum Atheniensem inter praetorium Turcicum et ecclesiam Eliae aedificium significatur specie oblonga compluribus amfractibus miramur. Eius signi nos reddimus lineas extremas neque vero umbris distinguimus quibus aedificia denotari solent, Lithographum in hac re non imitantes. Nam credimus erratum esse.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ Schaubert.
36 Μητρόπολις Lithogr. Monacensis.
70 Lithogr. Atheniensis.

Hodie Metropolis minor sive antiqua vocari solet, sed vetustius nomen Panagiae Gorgopico ne nunc quidem ex hominum memoria effluxit *). Quo tempore metropolim nominare coeperint nescio, cf. p. 38, Parthenon. Nomen (τὴν Μητρόπολιν) iam legitur apud Monachum Atheniensem, vide p. 44 sq., Ἅγ. Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης; ibi ecclesia dici videtur, non domus archiepiscopi. Vide p. 116 not. **.

His sexaginta fere annis Panagiam Gorgopico appellasse videntur homines qui Leakei fuerunt aetate **) neque ignorant id nomen qui ante Leakeum Athenas adierunt ***). Aliquoties solo cognomine significatam esse reperio †). Subesse putant genitivum, ut aedes Georgii Pici dici videatur ††).

Saeculo XVII sq. et Panagiam Gorgopico dixerunt et Catholicum †††), quam interpretati vocem ecclesiam cathedralem

---

*) In Ephemer. n. 2717 p. 1361 Pittaces ἡ ἐκκλησία τῆς Μητροπόλεως, inquit, εἶναι ἡ αὐτὴ τῇ ἐπικαλουμένῃ Γοργοπίκου. — De nomine interroganti mihi an. 1866 aeditua cognomen edidit, accentu in extrema syllaba posito Γοργοπικό. Alia forma Γοργοπικοῦσα nescio an accedat, quam ipsam quoque videor audivisse Athenis. Falsa utraque, ut opinor. V. not. seq.

**) In tabula II Topogr. Leakei et Rienäckeri nominatur: Panaghía Gorgópiko. In altera editione a Baitero et Sauppio translata cur scriptum sit Panagia Gorgópiki, nescio. Heldricus edit nominativum Γοργόπικος, genitiv. Γοργοπίκου.

***) C. I. n. 522 p. 481: in horologio marmoreo, olim Athenis in aula ecclesiae B. Virginis Panagiae Gorgopiko, Galland, Spon; n. 557 p. 491; n. 652 p. 502; n. 789 p. 516; n. 797 p. ead., quos titulos omnes Sponius descripsit apud „Panagiam Gorgopiko".

†) In Stuarti tabula, Antiq. III post p. VI, signo aedis adscriptum legitur nomen: Georgio Pico. Item Pittaces Gorgopico nominat in Ant. Athen. p. 103 et 107; in Ephem. n. 1640 p. 972 et n. 2717 p. 1361, quem locum supra not. * exscripsi. Denique in C. I. n. 919 p. 531 legitur: ecclesia D. Georgii Pici, quam interpretationem magis quam nominationem esse patet.

††) Cf. Leakei et Baiteri Topogr. p. 191 not. et C. I. n. 919 p. 531, quem locum in priore nota commemoravi, et n. 247 p. 361.

†††) C. I. n. 220 p. 346: Athenis in Panagia Gorgopiko s. Catholicon dicta ecclesia, Spon; item n. 247 p. 361. Altero non addito nomine Catholicon vocatur a Sponio, Pocockio, Fourmonto, C. I. n. 217

aut principalem appellarunt *). Domum archiepiscopi **) saeculo XVIII propter Metropolim 132 fuisse ex tabula Stuarti, Antiq. III post p. VI, intelligitur. Ibi „episcopi palatium“ reperitur egredienti ex aede ad laevam ***). Nam quae saeculo XVII fuerat sub Areopago sedes pontificis, terrae motu (ān. 1701?) dissipata et disiecta Stuarti aetate iacebat. Ante Turcarum incursionem circa n. 110 nostrae tabulae domum summi sacerdotis fuisse traditum est a Pittace. At nihil erat quod Turcae vetarent Christianos circa n. 110 habitare. Cf. p. 94 et p. 40 et Indicem Lat. s. v. Episcopus.

Surmeles, Κατάστ. Ἀθηνῶν p. 37, ab Duce Delarochio († 1259) conditam aedem 142 putat, non ut omnes Christiani uterentur aut archiepiscopus ibi sacris faciendis operam daret, sed ut ipse cum suis et posteri privatim frequentarent, esse

---

p. 346; n. 173 p. 310; n. 294 p. 401. Iam Babinus an. 1672 Catholicum (le Catholicon) nominari scribit; in ea ecclesia sedem esse (thrône; cf. p. 57, Τσιαμί) Archiepiscopi; mira quaedam inesse simulacra duo ex ligno inaurato (deux grandes cigoignes en bois doré). Cf. Labordii Athen. I p. 191 cf. 220. Guilletus in tabulae n. 36, Sponius in n. 10 posuit Catholicon. Cf. ib. p. 232 et II p. 25. Uterque situm negligentius definivit, ita tamen ut verum locum subesse appareat.

*) Sponius, ap. Labord. II 25: Catholicon, aedes cathedralis Graecorum. Pouquevillius in C. I. n. 375 p. 437: Athenis ad ecclesiam cathedralem. Carreyus an. 1674 quum zophorum illum a Ph. Lebasio et C. Böttichero (Philol. XXII Epimetr.) nuper editum adumbraret, in indice eius chartae principalem (la principale église grecque) vocavit. Cf. Labordii Athen. I p. 167.

**) Surmeles, Κατάστας. Ἀθηνῶν p. 37 domum archiepiscopi Metropolim vocat. Verba haec sunt ὁ ναὸς οὗτος (aedes 142) κείμενος ἐν τῇ περιοχῇ τῆς σημερινῆς κατερειπωμένης Μητροπόλεως ἤτοι τοῦ ἐπισκοπικοῦ καταστήματος. Saepius haesisse me fateor in legendo, quod putabam Metropolim aedem sacram significari, neque vero domum. Nunc dubito an recte eam vocem posuerit Surmeles. Cf. Surmel. p. 76: συνήρχοντο εἰς τὴν Μητρόπολιν παρὰ τῷ Ἀρχιερεῖ. Sed apud Monach. Athen. ὁ τοῦ Ἀρχιερέως οἶκος prope n. 42 distinguitur a Metropoli. Vide p. 115.


***) In Leakei tabula II non eodem plane loco, sed e regione portae collocatum video, ad occasum versus ab ecclesia. — G. Kohlmannus primum liberatae Turcarum dominatu Graeciae archiepiscopum inter ultimam viam Metropolis et aream in qua nunc est Evangelistriae aedes (nova Metropolis) scribit habitasse (fere an. 1830, ut opinor); nunc (an. 1866) in metochio Panagiae Pentelicae nuper exstructo habi-

enim minorem nec posse capere magnam frequentiam hominum *). Etiam Couchardus architectus minorem esse iudicat negatque idoneam videri potuisse quo omnes convenirent. Cf. Couchardi Delectum Eccles. Byz. p. 11. Recte id iudicatum videtur.

Idem homo Graecus aedem 142 S. Servatori putat dedicatam esse a Duce Delarochio. Quod unde constet nescio et miror non explicari ab Surmele qui factum sit ut quae primo S. Servatoris fuisset Panagiae postea esset. Nam fac conditam esse S. Servatoris et Panagiae aedem, cur tandem S. Ser-

---

tare non procul a puteo Photiadu. Utrumque situm tabella illustravit, quam subiicimus hoc loco:



*) Sed quod Surmeles dicit: ὁ ναὸc οὗτοc cώζεται μέχρι τῆc cήμερον ἐκτὸc Νάρθηκοc, fallitur. Est ea pars, quae a Graecis νάρθηξ vocatur, et recte, Couchardus l. l. in aedem introiri ait per pronaum quendam, „par un vestibule, νάρθηξ“. Ipse quoque vidi esse pronaum, opere caelato ornatum, exigua luce illustratum. — Aula autem, cuius fit mentio in C. I. n. 522 p. 481, nunc nulla est. Ne Pittaces quidem vidit sed quod Ant. Athen. p. 108 narrat ex C. I. l. l. hausit. Fuisse ea verba ait (non esse) in illo horologio marmoreo, quod positum aliquando in aula ecclesiae 142 docti homines viderant.

vatoris obliti posteri Panagiae nomen servaverunt? cur is qui condidit inesse voluit pictam Panagiam specie humana ampliorem? *)

Couchardus, qui Metropolis minoris aedificationem pictura illustravit in Delectu Eccles. Byz., inde ab anno 1827 exauguratam pro bibliotheca publica fuisse scribit l. l. p. 11. Erat vero etiam pro Museo, in quo tituli prope inventi reponerentur; cf. Ephem. n. 887 p. 530.

Nunc fere semper clausa tenetur neque frequentatur. Dedicata autem esse hodie Eleutherio et Philotheae dicitur. Illi festus agitur dies 15 m. Decembris, huic 22 m. Februarii. Sanctam mulierem in tabula pictam vidi, quum Metropolim an. 1866 minorem viserem. Cf. p. 125 Ἁγ. Ἀνδρέας. Bis igitur in anno aperitur ad sacra facienda.

Magna levitate et negligentia in hac aede tractanda enumerandisque titulis ibi repertis scriptor Antiquarum Athenarum Pittaces versatus est. Etenim de ecclesia Gorgopico in p. 103—111, de Cathedrali p. 111, de Catholico p. 492—496 disputat perinde quasi tribus nominibus tria aedificia significentur. Quicunque leget, aut in errorem inducetur aut incertus haerebit. Cf. Rangabis Antiq. n. 364 p. 221. Titulum ad Catholicum inventum C. I. n. 217 p. 346 quum in muro Cathedralis se legisse dicat p. 111, alium ibidem inventum C. I. n. 294 p. 401 Capnicaraeae assignat p. 491, cui eidem titulum C. I. n. 375 p. 437 ad Cathedralem repertum attribuit. Cf. p. 134 not. **, Καπνικαραία. Prope Catholicum eum lapidem fuisse p. 495 dicit, quem p. 76 alibi se legisse dixerat. Cf. Rangabis Antiq. II p. VI. Quam ad Metropolim minorem viderunt inscriptionem C. I n. 789 p. 516, eam Pittaces locis, quae circa sint, assignat, qua de re purgare se studuit in Ephemer. n. 2717 p. 1361. Miror, quod titulus

*) Panagia similis est Pantocratoris, qui in monasterio Daphni visitur. Nempe Metropolim aedificarunt, qui id monasterium condiderunt, Duces Franci; vide Surmelem l. l. — Quum e regione portae picta super altare sit Panagia atque adspiciat eos qui ecclesiam intrant, Γοργοπικὸ = γοργωπὸν non inepte possis interpretari h. e. eam quae de loco superiore in supplicibus defigat occulos grandes et immobiles vultuque rigido terreat. Sed vocis Γοργοπικό accentus quum male positus videatur, cf. p. 115 not. * et **, coniectura abstinendum est.

C. I. n. 212 p. 343 = Rangabis Antiq. I n. 54 p. 43 insertus in scalas domus alicuius, anno 1835 quo Pittaces scripsit inter Prytaneum et Lenaeum fuerit, quoniam Rangabes anno 1842 ibi fuisse scribit ubi nunc est. Ipse vidi et descripsi, domus est undecima viae Metropolis. Scilicet in Corpore Inscr. Gr. dicitur esse Athenis in domo prope monumentum Lysicratis, neque verum est quod iste praedicat p. 167 se reperisse, nisi forte legere in libro est reperire.

De aquae ductu subterraneo cf. p. 97, Ἄτλαντες.

N. 143.

Ἅγ. Νικόλαος.

Prope Metropolim (minorem) aedes Nicolai fuit, appendicula illa quidem monasterii Caesariani in monte Hymetto siti; cf. p. 108, Παναγία, Μεγάλο Μοναστήρ. Genus illud aedium appendicularum μετόχια Graeci vocant.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

37 ἅγ. Νικόλαος Lithogr. Monacensis.

71 Lithogr. Atheniensis.

Quum constet archiepiscopum quondam prope Metropolim habitasse, dubitari non potest quin titulus C. I. n. 405 p. 449 ad aedem Nicolai 143 inventus sit. Etenim scribitur l. l. „olim Athenis fuisse in ea parte D Cyriani (imo vero in possessione quadam Caesarianorum) quam architecti vocant Metochi, prope palatium archiepiscopi". In eo titulo Erotius Atheniensis laudatur, qui Cereris et Proserpinae fuit hierophantes Eleusine, ut recte interpretatur Boeckhius. Huius statuam domi posuit Cleadas filius, verbis infra scriptis: Δηοῦς καὶ Κούρης θεοΐκελον ἱεροφάντην | κυδαίνων πατέρα στῆσε δόμους Κλεάδας κ. τ. λ.

Idem fortasse locus dicitur in C. I. n. 785 p. 515, qui titulus „Athenis in monasterio D. Nicolai" fuit.

Ubi tunc Nicolaus fuit, ibi anno 1843 *) permagnae ec-

*) Ross. Dem. p. 84; Ephem. n. 887 p. 530. — Quae in Ephem. n. 1861 p. 1019 commemoratur Metropolis minor esse existimanda est propter an. 1830, quo anno nondum fuit maior. Incertum an ad maiorem referri oporteat Ephem. n. 3839 p. 1978, qui an. 1860 inventus est. Eae autem aedes tam propinquae sunt, ut non multum intersit utra dicatur.

clesiae fundamenta iacta sunt, quae nunc Metropolis (maior) nominatur. Dedicarunt autem matri Christi d. 25 m. Martii celebrandae, cuius diei nomen in fastis est: ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. Ita fit ut aedes Evangelistriae quoque nomen habeat ac via urbis propinqua ὁδὸς Εὐαγγελιστρίας *) vocetur. Dum Metropolis maior exstruebatur et paullo post exstructam aedem nondum constabat, quod nomen imponerent. In Ephemeridibus tunc editis varie appellatur: n. 884 et 887 ἡ ἐκκλησία τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων; n. 885 sq. et 898 sqq. ἡ δημοτικὴ ἐκκλησία; n. 905 et 909 ἡ ἐκκλησία τοῦ Εὐαγγελισμοῦ; n. 1368 p. 848 ἡ δημοτικὴ μεγάλη ἐκκλ. τοῦ Εὐαγγελισμοῦ; n. 1674 p. 981; n. 2683 p. 1334 ἡ ἐκκλ. ὁ Εὐαγγελισμός; n. 1881 p. 1022; n. 1894 p. 1024; n. 2256 p. 1168 ἡ (δημοτικὴ) ἐκκλησία τῆς Εὐαγγελιστρίας.

Plerique tituli in fundamentis Evangelistriae iaciendis reperti Atheniensium nomina praebent mortuorum nec digni sunt mentione **).

Unus memorabilis est quem Rossius in Demorum p. 84 et Pittaces in Ephem. n. 887 p. 530 ediderunt. Verba ex parte manca ita supplevit Rossius: κανηφ[ο]ρήσασαν] Σαράπιδος καὶ Εἴσιδος ἀνέθηκεν ἐπὶ [Π]αμφίλω ἱερατε[ύο]ντος κ. τ. λ. Haec Bursiani (Geogr. I p. 296 not.) opinionem confirmare videntur, in area minoris et maioris Metropolis olim Serapidis fanum fuisse. Bursianus non propter titulos sed propter ornamenta Metropolis minoris id coniecit, quae ex templo Serapidis ***) desumpta esse viderentur. Attamen dubitatio aliqua manet, quamvis titulo illo confirmante. Inscriptio quidem ap. Pitt. Ant. Athen. p. 481, in qua item λειτουργὸς Εἴσιδος commemoratur ad monumentum Lysicratis reperta est. Consentaneus vicissim Bursiani coniecturae is locus est ubi Keilius in Mus. Rhen. XIX p. 268 inscriptionem inventam esse tradit in qua [λειτου]ργὸς Εἴσιδος commemoratur.

---

*) Nam etsi vetustior aedes propter viam sita n. 158 ad eundem diem 25 m. Martii pertinet, ut nomen viae inde ortum videri possit, ea aedes tamen non Evangelistria sed Rombe et vocari et vocata esse reperitur.

**) In Ephemer. n. 2683 p. 1334 Apollo Zosterius commemoratur.

***) At zophorus ille nuper a C. Boettichero editus, nobilissimum metropolis minoris ornamentum nescio an ad Serapidem non pertineat.

Etenim in ecclesia Μεντελιότη, quae ἁγ. Δύναμις nominanda fuit inscriptionem ait visam esse. S. Dynamis autem (in n. 146 nostrae tabulae) non longe abest ab Evangalistria.

N. 144.
Παναγία Ταγγέλου.

Fuit in compitis per quae nunc via Mercurii ducta est. Ex viis pristinis mansit ea quae a Phocione nomen habet.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΤΑΓΓΕΛΟΥ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

27 Lithogr. Atheniensis. In numero erratum est, oportuit esse 72.

Kohlmannus cognomen edit Tangélu, confirmans Schauberti scriptionem. Apud alios prima litera omittitur. Fourmontus titulum in C. I. n. 742 p. 510 editum reperit „Athenis in aula Beatae Virginis dictae Ἀγγέλου". Item Pittaces Panagiam Angelou vocavit in Ant. Athen. p. 489. Ταγγέλου idem esse quod τοῦ ἀγγέλου videtur.

N. 145.
Παναγία Ῥοδακιώτισσα.

In trivio puteus est βρύσις Ῥοδακιό, unde ecclesia habuit cognomen. Viam Mercurii quae nunc per totam urbem pertinet quum aperirent non potuerunt facere quin delerent. — Titulum C. I. n. 212 p. 343, Rangabes I p. 43 in „via Rodakio" esse dicit, quae via nunc nulla est. Domus cum scalis in publicum ferentibus tituloque in gradibus insculpto undecima est viae eius quae vocatur ὁδὸς Μητροπόλεως. Quo Rangabes anno (1842) scribebat nova quae nunc sunt nomina fortasse nondum erant imposita.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΡΟΔΑΚΙΩΤΙΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

Lithogr. Atheniensis signum ecclesiae posuit, numerum omisit. Suppleri potest n. 55.

Pittaces ei urbis regioni olim Diomeae, proximae quae inde ad septemtriones vergit Collyto nomen fuisse ratus Apollinem, qui in titulis Ant. Athen. p. 484 et Ephem. n. 518 p. 394 sq. ibi repertis commemoratur, Metagitnium esse contendit.

Nomen varie scribitur. Titulum C. I. n. 232 p. 355 (ad ludos spectantem, fortasse Panathenaicos) Fourmontus ut videtur dixerat se invenisse Athenis in ecclesia B. Virginis quae Ῥοδάκη vocatur. Apud Pittacem in Ant. Athen. p. 204 est Panagia Rodakió, quod fontis et circa fontem locorum proprium nomen est. Nam plenam et integram Panagiae appellationem eam esse puto quae in ωτισσα desinit, ut Schaubertus quoque ΡΟΔΑΚΙΩΤΙΣ compendio scripsisse videatur. Forma incolumis Panagia Rodakiótissa est in Kohlmanni Indice et in Pittacis Ant. Athen. p. 484 παναγία Ῥοδακιώτισσα ubi ῥόδα (rosas) subesse voci Ῥοδακιώτισσα scriptor suspicatur.

N. 146.

Ἁγία Δύναμις.

Duo sunt aedificia, domus monachorum et aedes sacra, sita ad compita viarum Pentelicae et Metropolitanae (ὁδὸς Πεντέλης, ὁδὸς Μητροπόλεως), in ea urbis parte quae orientem spectat. Saepta autem sunt muro separataque a publico.

Stuartus in Descriptione Urbis, quae est in Antiquitatum vol. III post p. VI, Hospitium Mentelicum vocat, appositis duarum aedium signis]]; Schaubertus unum signum habet addito nomine ΑΓ ΔΥΝΑΜΙΣ. Illa appellatio conventum monachorum, haec aedem spectat, quae in propinquo est.

Omisit Schauberti imitator Monacensis et hanc et ceteras in ea vicinitate ecclesias.

Lithographus Atheniensis signum in loco posuit, numerum (fortasse 56) omisit.

Unus ex monachis, qui sunt viginti aut plures, qui esset encaeniorum dies rogatus, mihi respondit eam ecclesiam non habere sua encaenia, festum diem *) agi supra, hoc est in monte Pentelico. Nam eae aedes sunt Panagiae Pentelissae, quae suam sedem procul ab urbe habet in monte. Qui quum etiam Mentele nominetur, Carolus Keilius in Musei Rhenani vol. XIX p. 268 **) quum dicit ecclesiam Μεντελιότη, aedem 146 significat.

*) Dies est 21 m. Novembris: τὰ εἰσόδια τῆς Θεοτόκου. Scilicet ἡ ἁγία δύναμις est δύναμις τῆς Παναγίας. Nomen obscurius imponere libuit ei qui condidit aedem; potuit enim Panagiam vel Isodia nominare.

**) Bergmannus, amicus meus, admonuit me eius loci.

Pittaces saepius eius ecclesiae et conventus mentionem facit neque vero uno et eodem nomine appellat. In Antiq. Athen. p. 482 ἁγίαν Δύναμιν vocat in eaque parte urbis sitam esse dicit, quae nunc Placa nominetur: olim autem Herculis ibi fuisse fanum; in Ephemeridum n. 1387 p. 866: παρὰ τὴν ἐκκλησίαν, inquit, καλουμένην ἁγία Δύναμις, ἐν τῇ περιοχῇ τοῦ μετοχίου τῆς Μονῆς Πεντέλης; ib. p. 1157 n. 2232: οὐ μακρὰν τοῦ μετοχίου τοῦ Πεντελιώτη. Tituli alibi (a Parthenone ad occidentem versus) inventi Ephem. n. 1387 = Rangab. n. 879 verba explicans, loca circa n. 146 palustria fuisse templumque Minervae olim ibi exstructum affirmat. Tituli verba lin. 6: Ἀθηνᾶς τέλμα πρὸς ταῖ[ς ...., lin. 7: ταῖς παρὰ τὸ Διοχάρο...., quae fortasse mentio portae Diocharis est. Eum ipsum locum, ubi palus olim fuerit, aquosa excavataque loca nunc esse reperiantur, vocari ait Βουδοπνύκτην Eph. n. 1509 p. 922, suam tituli illius interpretationem quasi quodammodo confirmans et comprobans.

N. 147.

Ἰενὶ Τσιαμί.

Fuit prope vias Apollinis et Thucydidis. Hoc tempore demoliti sunt.

U Moschea, che serue hora per deposito di munitione; in Tabula Comitis S. Felicis apud Fanellium p. 317.

N Moschea ora Monitjone de Foragi; in Prospectu Athenarum, quem in additamentis edidit Labordius, annexum tomi II paginae 170.

8 Moschea, Hora Monitione; in tabula P. Coronellii, a Conzio mihi commodata.

Itaque homines Itali consentiunt horreum tunc, an. 1687, fuisse, quo commeatus militibus congererentur.

Habet etiam, in urbe adumbrata, apud Fanellium p. 313, Anonymus, illorum aequalis, sed nec literam nec explicationem adscripsit.

ΤΣΙΑΜ Schaubert. Fuit ΤΣΙΑΜΙ.

21 Τσιάμι Lithogr. Monacensis. Scribendum Τσιαμί.

58 Lithogr. Atheniensis.

Antequam templum Jení Djamí exstructum esset, ecclesiam Parasceves ibi fuisse vicini narrant. Mirere tenacem memoriam.

Graece scriptum nomen Ἰενὶ Τσιαμί non vidi, sed quod G. Kohlmannus dedit: Jení Djamí id graecis literis ego scripsi.

N. 148.

Ἅγ. Ἀνδρέας.

Ex via Philotheae descenditur in locum quadratum, cinctum casis in quibus nunc pauperes habitant. Ecclesia S. Andreae ab casis circa exstructis disiuncta in medio fere est, ianuis casarum introrsum vergentibus ut exitu in viam Philotheae clauso omnes qui incolunt publico carere cogantur.

ΑΓ ΑΝΔΡΕΑΣ Schaubert.

22 ἅγ. Ἀνδρέας Monacensis.

61 Lithographus.

In Descriptione Urbis, quae 1834 facta Athenis asservatur, aream cernere licet in qua ecclesia sita est.

Dubito an Sponius Numero 9 Descriptionis Athenarum S. Andream designaverit. Nam et ea fere in parte urbis posuit Numerum 9 ubi dixi esse et explicavit ita, ut non possis facere quin ecclesiam et monasterium S. Andreae dici putes; cf. Labordii Athen. II p. 25, ubi in Indicis Sponiani Numero 9 adscribitur: coenobium monacharum („Couvent de Coloyeres“). Monacharum autem coenobium apud S. Andream fuisse constat, saeculo XVII conditum a Philothea, muliere Atheniensi.

Surmeles, Κατάστας. Ἀθηνῶν p. 63 sororem Benizeli *) fuisse dicit, quem Zacynthi Sponius vidisset **). Quod condidit monasterium (μοναστήριον τῶν γυναικῶν τῆς ὁσίας Φιλοθέας) peculiare et proprium erat gentis Benizelorum. Ipsa dum vivebat ibi puellas docebat. Fundum praeterea possidebat in vico Καλογρέζα ***) inter urbem et Cephissiam sito,

*) Benizelorum gens non exstincta pristinam dignitatem servat Athenis paucisque abhinc annis Miltiades Benizelus Rector Universitatis fuit.

**) Quod Surmeles l. l. addit, mortuam esse anno 1589, errat, quia Sponius centum fere annis post in Graeciam venit, amicus autem Sponii Benizelus mulierem anno 1589 mortuam non potuit sororem habere. Fortasse 1689 scribendum est.

***) Surmeles περὶ δήμων p. 100 sq., ubi putei quoque a Philothea conditi mentio fit. Nomen dicitur esse Ψυχικόν.

ubi secessu et amoenitate loci perfruebatur. Posteaquam non procul ab urbe interfecta ab Turcis diem obiit, sepulta est in monasterio. Reliquiae, Benizelorum propriae, nunc translatae sunt in Metropolim minorem ubi pictam in tabula Philotheam videre licet.

Aedes n. 148 etsi ruinosae nunc et ex parte collapsae sunt, tamen mulieris honestissimae memoria non occidit, nisi quod, quae in ipsius monumentis n. 148 coli solita est antehac, in Metropoli (minore, n. 142) nunc celebratur. Festi aguntur d. 18 m. Augusti (ἐνταφίαcιc) et 22 m. Februarii (μετακομιδή) *). In sanctorum quidem numerum non relata est Philothea neque nomen in fastis reperitur, ut non ἁγία sed ὁcία vocetur.

Praeterea operae pretium fuerit exscribere ea quae Surmeles habet. L. l. in nota, ἡ ἐν 'Αγίαιc ὁcία Φιλοθέη, inquit, πλουcία οὖcα καὶ δεξαμένη τὸ Μοναχικὸν Cχῆμα μετὰ τὸν θάνατον τοῦ πρώτου cυζύγου τηc, ἀνήγειρεν ἐν τῇ Πόλει τὸν Παρθενῶνα τῶν Μοναζουcῶν, τὴν λεγομένην Μονὴν τοῦ 'Αγίου 'Ανδρέου, προικίcαcα αὐτὸν μὲ πολλὰ κτήματα ἐκ τῶν ἰδίων τηc· τὰ ὁποῖα τὴν cήμερον (an. 1842) ἐπέραcαν εἰc τὴν ἐξουcίαν τῆc Κυβερνήcεωc διὰ τὴν διάλυcιν τῶν Μοναcτηρίων. Fundos S. Andreae aestimat centum millibus drachmarum. Etiam libros manuscriptos, ut orationem Gregorii, ibi fuisse tradit.

Ad ecclesiam S. Andreae tituli aliquot choragici inventi sunt: Ephem. n. 1844 p. 1014; Pittacis Antiq. Athen. p. 113. Tertium quoque eiusdem generis fragmentum addi posse videtur quod editum est in Ephem. n. 2758 p. 1377.

Lapis ille, quo fundi alicuius terminus designabatur Ephem. n. 2750 p. 1374, Pittaci visus est ad Veneris templum pertinere propterea quod in propinquo invenerunt titulum in quo Veneris mentio fit, Ant. Athen. l. l. = Rangab. n. 1063

*) Diem 22 m. Februarii, ab Surmele Κατάcταc. 'Αθηνῶν p. 63 traditum, confirmat Heldricus. — Sacerdos quidem Graecus, quum Athenis essem, dixit diem 19 m. Februarii agi Philotheae atque Metropolim (minorem) Eleutherio et Philotheae nunc dedicatam esse. Quamquam meus testis prope Metropolim habitabat et earum rerum peritus esse videbatur, locupletioribus tamen auctoribus Surmele et Heldrico uti malui.

p. 737: Φίλη Ἀφροδίτη ἀνέθηκεν. At in altero lapide non est Veneris nomen sed solum ὅρος το[ῦ τεμ]ένο[υ]ς ut incertum sit cuius fundi fuerit terminus.

N. 149.

Ἅγ. Δημήτριος.

Fuit in transverso tramite, cui viae S. Andreae nomen, ab Metropoli ad meridiem versus.

ΑΓ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ Schaubert.

34 ἅγ. Δημήτριος Lithogr. Monacensis.

Signum habet Lithogr. Atheniensis, numero non addito, fuit fortasse 57.

Pittaces in Ant. Athen. p. 113 propinquas esse dicit aediculas S. Demetrii et S. Servatoris, spectare autem ad septemtriones, si quis ab ecclesia Panagiae Roeditissae processerit. Panagia Roeditissa forsitan eadem fuerit quae Phaneromene 89, quique inde proficiscebantur ad septemtriones versus eo perveniebant ubi S. Demetrius 149 et Soter 150 erant. Panagiam Roeditissam quidem et Phaneromenen eandem fuisse non omnino constat, sed ut de situ aedis S. Demetrii dubitari non possit, Schauberti, idonei testis, facit definitio loci.

Cf. p. 78, Φανερωμένη.

N. 150.

Ἅγ. Σωτήρ.

Sita fuit aedicula e regione S. Demetrii 149 ita ut non solum semitam S. Andreae tangeret sed etiam propter viam Philotheae esset.

ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.

Omiserunt Lithographi.

A Pittace commemorari videtur in Ant. Athen. p. 113. Supra de hac re disputavimus, cf. p. 78, Φανερωμένη.

N. 151.

Ἅγ. Σωτήρ.

Fuit in compitis a pristina Metropoli 142 ad meridiem versus sitis.

ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.
35 ἅγ. Cωτήρ Lithogr. Monacensis.
67 Lithogr. Atheniensis.

Caput XVII.

Pars urbis inter ecclesiam S. Georgii Carytsis et Capnicaraeam interiecta.

N. 152.

Ἅγ. Γεώργιος Καρύτςις.

Est inter Neapolim viamque Stadii et ultimam viam Praxitelis, non procul a puteo Photiadu in compitis sito.

Tabula Sponii non solum S. Nicodemum et S. Theodorum, sed etiam S. Georgium Carytsin demonstrat tunc, an. 1678, extra urbem fuisse ut a moenibus aliquantum distarent.

Recentiores moenia, an. 1778 condita, hac in parte urbis ita designant ut in orientem versus producant includantque quas dixi ecclesias.

S. Georgii Carytsis aedem in Sponianae tabulae numero 44 habes, an. 1678.

Qui anno 1687 urbem adumbrarunt Itali ecclesiam S. Georgii 152 omiserunt; cf. p. 152, Ἅγ. Θεόδωρος.

ΑΓ ΓΕΩΡΓΙΟΣ Schaubert.
49 ἅγ. Γεώργιος Lithogr. Monacensis.
147 Lithogr. Atheniensis.

Cognomen Carytsis ex Kohlmanno compertum („Karytsis“) literis Graecis ego scripsi Καρύτςις. Dicunt hominem Atheniensem fuisse, qui Eudociae aetate (an. 424—460) ecclesiam n. 152 aedificasset. Cf. n. 68, Ἅγ. Νικόδημος, p. 68 not. *.

N. 153.

Ἅγ. Νικόλαος.

Fuit inter vias S. Marci et Leocharis, a puteo Calamioti ad septemtriones versus.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.
149 Lithogr. Atheniensis.

N. 154.

"Ατ Cωτήρ.

Fuit in flexu viae S. Marci.
ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.
Omisit Litthogr. Monacensis.
150 Lithogr. Atheniensis.

N. 155.

'Ατ. Εἰρήνη.

Ecclesia S. Irenes, propter viam quae nunc est Aeoli sita, quum incendio a Turcis deleta esset primo anno belli pro libertate Graeciae suscepti (an. 1821), anno 1849 refecta et restituta est tanta diligentia ut plerasque nunc aedes sacras splendore et amplitudine superet.

Signum omisso nomine in Schauberti tabula reperitur. Nomen vetustate obliteratum.

52 ἅτ. Εἰρήνη Lithogr. Monacensis.

139 Lithogr. Atheniensis.

Regio urbis, ubi ecclesia S. Irenes est, Πυργοί sive Πουργοί vocatur, cui nomini Pittaces in Ant. Athen. p. 509 Vestam Epipyrgiam subesse putat. At aliter quoque id nomen explicare licebit, siquidem Πυργοί turrim i. e. altitudinem significat, quod, quum non idem sit accentus (πύργος, turris; Πυργοί, regio Athenarum), in dubitationem vocari posse video. Sed si Πυργοί idem sit quod πύργος, πύργοι, referri potest ad loci naturam. Etenim depressum solum est ubi Turcarum moenia fuerunt prope aedem S. Apostolorum 171; id quod facile intelligitur rectam Aeoli viam introspicientibus. Ea via primo quasi vallem facit, postea leniter ascendens ad ecclesiam S. Irenes altissima est rursusque descendens clivum quendam habet medium. In quo clivo quum regio illa Πυργοί sit, nomen forsitan loci significet altitudinem.

In aede Irenes repertus est titulus ille qui ad longos muros pertinet. Cf. Leakei Topogr. p. 453 et Ephem. n. 1340 p. 819 not. Neque vero primo positus esse ibi videtur, ubi

Christiani S. Irenes ecclesiam exstruxerunt. Nam in tabulis, quae memorabile illud de muris decretum habebant, pictus conspiciebatur Christus cum matre (ἐπ' αὐτῶι ἦν ἡ εἰκὼν τοῦ Ἰησοῦ καὶ τῆς Θεοτόκου Ephem. l. l.). Quare coniecturae locus est, primo in arce fuisse. Nam in arce fuit aedes matris Christi, τῆς Θεοτόκου.

Etiam aliud decretum, hac aetate inventum in parietinis ecclesiae S. Irenes, olim in arce fuit, Ephemer. n. 1340 p. 819. Eius enim legis in versu 29 legitur illud καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει. Pittaces p. 820 sq. non licuisse dicit ex arce auferre lapides, dum Turcae dominarentur, ut ante dominatum barbarorum S. Irenes aedes aedificata esse videatur. At si quando libuit nescio an barbari tamen concesserint. Pro ratione scilicet Turcis voluntas stabat.

Denique columnam illam, in qua elogium est, a porta Acharnana importatam Pittaces putat, Ephem. n. 2713 p. 1361. Recte fortasse, quamquam cur importatam esse velit, causam nec ipse affert nec ego video.

Et hanc et ceteras quae propter S. Irenen inventae dicuntur inscriptiones ad eam aedem retulerim quae in nostrae tabulae n. 155 est neque vero ad aediculam S. Irenes 79 prope balneas sitam. Titulos dico Ephem. n. 3188 p. 1639; n. 3329 sqq. p. 1749; C. I. n. 644 p. 501; n. 723 p. 509; n. 943 p. 535. — De duobus autem illis decretis, quae prima attuli, dubitari non potest apud utram aedem inventa sint propter ea quae in Ephem. p. 819 editor disserit.

N. 156 et 157.

Aedes ignotae,

fortasse Ἁγ. Σιών et Ἁγ. Καρύκη.

Lithographus Atheniensis in sui ordinis numero 154 signum aedis posuit ad mediam fere viam Calamiotis, quod nos adscripto numero 156 reddimus.

Alterum signum propter viam Rombes esse vides, quod in numero 153 ille habet. Nos n. 157 substituimus.

Quum apicatum utrumque signum Lithographi sit, quamvis apex non ad ortum, ut debuit, sed ad occasum solis vergat, aedes sacras Christianorum significari opinamur.

Videri possunt ἁγία Σιὼν et Κορίκη sive Καρύκη*) esse, quas ecclesias vicinas Pittaces in Ant. Athen. p. 488 sqq. commemorat, sitas in regione „Calamioti". „Calamioti" nomen est putei**) inter vias S. Marci, Calamiotis (ὁδὸς Καλαμιώτου), Evangelistriae interpositi in trivio, quaeque circa sunt eodem nomine „Calamioti" vulgo vocantur. Ergo eis locis describendis Pittaces l. l. operam dat, in quibus nostros numeros 156 et 157 vides. Accedit quod post Coricen, eadem in pagina 489, Panagiam Romben (n. 158 nostrae tabulae) subiicit et Panagiam Tangelu (n. 144 nostrae tabulae). Mox oratio redit ad Coricen ac sequitur Capnicaraea (n. 159 nostrae tabulae).

Hanc nostram coniecturam qui probaverit, duas in tabula Lithographi ecclesias S. Sionis significatas habebit, alteram in n. 156 (157), alteram in n. 180 positam.

Res tamen tantum abest ut certa sit ut in promptu esse videam quae contra dicantur. Nam si Lithographum orationis Pittaceae, Ant. Athen. l. l., quasi interpretem audimus ducemque sequimur, quo praeeunte ad S. Sionis ecclesiam a Pittace dictam perveniamus, non ad n. 156 vel 157, sed ad loca suburbana delabi videmur, ubi S. Sionis ecclesiam fuisse non nostra opinione sed certis testimoniis constat. Pittaces post Campos Elysios Sanctam Sionem p. 488 nominat; Lithographus autem nomen Camporum Elysiorum („Champs Elysées") non procul a numero 151 = 180 nostrae tabulae scripsit;

---

*) In p. 489 primum „Corici", tum „Carici" scribitur. Illa forma graecis literis scripta: Κορίκη redit in p. 491, ut altera „Carici" invito scriptori excidisse videatur. Subesse enim Cereris filiam, Κόρην, volebat. Rectius fortasse Surmeles, περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 127, scribit: τὴν ἐνορίαν Καρύκη. Nam eadem loca ab Surmele dici vel inde patet quod Carycen cum via Stadii componit; quae via non procul ab nostrae tabulae n. 157 abest.

**) Anno 1698 effossum esse ab homine quodam qui Calamo ex oppido Athenas demigraverit, Surmeles, περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 171, auctor est. Εὐκατάστατός τις ἐκ τῆς κωμοπόλεως Καλάμου (Ψαφίδος) ἐπροτίμησε νὰ κατοικήσῃ ἐν Ἀθήναις καὶ κατασκευάσας οἰκίαν κατεσκεύασε τὴν κρήνην. καὶ ἀπὸ τοῦ κτίτορος ὠνομάσθη ἡ βρύσις τοῦ Καλαμιώτου· ἐκτίσθη δὲ ἐν τῷ 1698. Γνωρίζω δὲ μάλιστα τοῦτο διότι καὶ ἐγεννήθην καὶ ἀνετράφην εἰς τὴν ἐνορίαν ταύτην καὶ παράδοσιν ἔχω πατρικὴν περὶ τούτων ὅλων.

suburbanam ergo, non urbanam regionis „Calamioti" aedem interpretatur, ut descriptio Pittacis male procedere videatur.

Verum enim vero non licebit acquiescere in hac explicatione. Pittaces Campos Elysios non solum in regione „Calamioti" collocavit*) sed aliud eorum locorum nomen Palaeochori esse contendit**). Hoc nomine, inquit, omnis ea pars urbis significatur; vide Ant. Athen. p. 489. Itaque nescio an Campos Elysios sive Palaeochori ultra moenia patuisse putaverit***) ut nomine („Champs Elysées") extra urbem posito non dissentiat Lithographus. Suburbanam autem S. Sionis aedem a Pittace l. l. p. 488 dici non adducor ut credam, quod ea aedes nimis remota est a moenibus. Quam qui nimis ad urbem et ad suburbanum istud Elysium †) admovit Lithographus aut inconsulte ac temere fecisse aut quae dixerat Pittaces non recte intellexisse existimandus est. Pittaces enim, ut opinor, hoc imperaverat, ut Campos Elysios ad S. Sionis ecclesiam designaret, non suburbanam sed in n. 156 vel 157 h. e. in regione „Calamioti" sitam.

Homines quidem natu grandes, qui in ea parte Athenarum et nati sunt et semper habitarunt, sciscitanti, anno 1866, Georgio Kohlmanno, quae ibi ecclesiae fuissent, sua quidem memoria nullas fuisse responderunt ††).

*) Pitt. Ant. Athen. p. 488 verba Demosthen. 18, 129 sic legi iubet: ἐν τῷ Ἡλιςίῳ τῷ πρὸς Καλαμίτῃ; scilicet „Hélision" p. 486 antiquum nomen fuisse dicit. Nomen recentius „Calamioti" idem esse Pittaci videtur quod Καλαμίτης.

**) L. l. p. 486: „l'endroit que l'on appelle à présent Paleorchori (imo Palaeochori) était nommé anciennement Hélision".

***) Accedit quod Pittaces in Ephemer. n. 3287 p. 1737 scribit: τὸ ἄνοιγμα τῶν θεμελίων τοῦ νέου βουλευτηρίου εἰς τὴν θέςιν καλουμένην τὸ πάλαι Ἡλίςιον; cf. n. 3288, 3298, 3392, 3628. Nova curia, anno 1858 aedificata in prima Neapoli, non procul ab aede S. Georgii Carytsis 152, eodem nomine τὸ βουλευτήριον appellatur, quo antiquus ille senatus habendi locus, τῶν πεντακοςίων καλουμένων βουλευτήριον, Pausan. Att. 3, 5, quam priscorum Atheniensium curiam ibi fuisse credunt, ubi nunc veteris urbis viae Curiae et Metroi (ὁδὸς Βουλευτηρίου, ὁδὸς Μητρῴου) sunt; cf. p. 23, Ὑπαπαντή.

†) Ceteroqui noli credere nomine „Champs Elysées" in charta Lithogr. ipsum signum ecclesiae tangi. Imo vero tantum spatii interest quantum inter n. 83 et 99 nostrae tab. h. e. inter Turrim Ventorum et Portam Forensem.

††) Quamquam Georgius Kohlmannus auctoribus suis non tantum

N. 158.

Παναγία Ῥόμβη.

Sita aedes est propter viam Evangelistriae. Primo adspectu videri potest domus privata esse, quod vestibulo caret.

ΠΑΝΑΓΙΑ ΡΩΜΩΣ Schaubert.

18 Παναγία Βῶμος Lithogr. Monacensis.

148 Lith. Atheniens. Duo signa in n. 148 sunt, quorum alterum quadratum ecclesiam Panagiae significat, alterum ibi reperitur ubi semita multangula est post ecclesiam. Perperam eisdem lineamentis distinxit lithographus quibus signa aedium distingui solent. Kohlmannus eo loco negat unquam fuisse aedificium, neque quod manifesto lithographus peccavit in nostra tabula exprimimus.

Forma cognominis quae sit ex Ephem. n. 1881 p. 1022 intelligitur. Ibi graece Pittaces scribit Παναγίαν Ῥόμβην; in Ant. Athen. p. 489 latinis literis est „Panagia Rombi“. In semita propinqua publice inscriptum legitur: ΟΔΟΣ ΡΟΜΒΗΣ. — De scriptione syllabae prioris tamen dubitari potest, quod vocalis Ω (non O) apud Schaubertum et in Heldrici schedis reperitur.

N. 159.

Καπνικαραία.

A Piraeo in urbem euntibus via quae nunc est Mercurii aedificio claudi videtur; appropinquantibus autem intelligitur non occlusam esse viam sed ad eius aedis latera transiri vel potius circumiri posse. Uterque circuitus viam transversam excipit, a meridie Viam Capnicaraeae, a septemtrionibus eam quae ὁδὸς Καλαμιώτου nominatur. Illud autem aedificium, quod viae rectae et magnae Mercurii obstat Capnicaraea est.

ΑΓ ΚΑΝΚΑΡΕΑ Schaubert.

47 ἁγ. Καμκαρέα Lithogr. Monacensis.

138 Lithogr. Atheniensis.

Nomen Καπνικαραία in angulis viae quam dixi transversae publice scriptum legitur. Eandem scriptionem in Ephemer.

---

tribuit, ut Lithographum Atheniensem erroris coarguere audeat; fieri posse, ut superiore aetate ibi aedes sacrae fuerint, quarum nunc memoria nulla sit.

n. 3447 p. 1800 et n. 3753 p. 1924 et 1926 habes. Alibi autem aliter scribitur, Καπνικαρέα Ephem. n. 1846 p. 1014 et n. 2889 p. 1420, Καπνηκαρέα Ephem. n. 516 p. 394, n. 2166 p. 1129. Una eademque forma est vocabuli literis mutatis.

Est vero etiam altera forma, ab diversa pronunciatione profecta, Καμνικαρέα Ephem. n. 897 p. 533. Sponius aliique vetustiores scriptores Camuchariam nominant *). Contrahitur vulgo: Camcaraea, ut est apud Lithogr. Monacensem et fere etiam apud Schaubertum, qui Cancarea scripsit.

Qui saeculis XVII et XVIII Athenas venerunt urbisque aut adumbrarunt prospectus aut situs aedificiorum definiverunt tabulis, Capnicaraeam non significarunt.

Quod Schaubertus et qui eum sequi solet Lithogr. Monacensis praefixit adiectivum ἁγία, rectius omittitur ab aliis. Sanctam nec Couchardus vocat Capnicaraeam nec Pittaces, nomenque videtur non mulieris cuiusdam divinae sed ipsius aedis esse, quamquam vox Καπνικαραία quid significet non liquet. Pittaces Antiq. Athen. p. 491 a Cereris nescio quo cognomine Καισσαρία ductam esse putat; in Ephem. p. 1926 autem Saesaram Celei filiam (Pausan. Att. 38, 2) affert, idque nomen subesse contendit, miro ille quidem acumine in re etymologica versatus **).

Παναγίαν Καμουχαρείαν nominant vetustiores quidam scriptores, id quod ex his locis Corp. Inscr. Gr. intelligitur:

---

*) Sequitur ut falsum sit quod Surmeles, Κατάστ. τῶν Ἀθηνῶν p. 66 not., tradit cognomen excogitatum esse post urbem a Mauroceno 1687 captam. Sponius enim novem annis ante Athenis fuerat. Ἔμεινε δὲ ἡ πόλις ἔρημος, inquit, ἀπὸ τὰ μέσα Μαρτίου 1688 μέχρι τῶν 1690. Τὰ Τουρκικὰ στρατεύματα εἰσελθόντα παρέδωκαν αὐτὴν εἰς τὸ πῦρ. Ἡ Ἐκκλησία τῆς Παναγίας ἡ Καπνηκαρέα ἀπὸ τῆς ἐποχῆς ταύτης ἔλαβε τὴν ἐπωνυμίαν· διότι εἰς τὴν ἐπιστροφήν των οἱ κάτοικοι καθαρίζοντες τὴν Ἐκκλησίαν, εὗρον μεταξὺ τῆς κεκαυμένης ὕλης τὴν εἰκόνα τῆς Παναγίας ἄκαυστον μέν, ἀλλὰ κατακαπνισμένην ὅλην, ἐφ' ᾧ καὶ Καπνηκαρέαν ἐκ τοῦ καπνὸς καὶ κάρα ἐκάλεσαν αὐτήν. Alii autem aliter hariolantur, ut sunt qui narrent cognomini Καπνικαραία subesse voces καρυά (nuces) et καπνός (fumus) ut quae aedes ibi sit ubi arbor fuerit, a fumo et arbore combusta nomen cepisse videatur.

**) Quod Ephem. p. 1926 lin. 1 legitur Καπνικοραίαν, dubito an erratum sit typographi, nisi forte praeclarus iste grammaticus in unam et eandem vocem et Κόρην et Saesaram infercire cupivit.

n. 588 p. 495 Athenis apud ecclesiam Panagiae Camuchariae, Spon.; n. 395 p. 446 Athenis in angulo dextro basilicae Παναγίας Καμουχαρείας, ex schedis Fourmonti; n. 904 p. 529 Athenis in vestibulo basilicae quae dicitur Παναγία Καμουχαρεία, Pococke. Pro cognomine Panagiae hi quidem habuerunt, quae opinio propterea non est spernenda, quod ecclesiam Capnicaraeam matri Christi dedicatam esse constat.

Etenim maior pars eius ecclesiae pertinet ad d. 21 m. Novembris, τὰ εἰσόδια τῆς Θεοτόκου sive τὰ εἰσόδια τῆς κυρᾶς, minor autem ad S. Barbarae diem, qui est d. 4 m. Decembris*). Aedificii membra diligenter Couchardus architectus in Delectu Eccl. Byz. expressit. Cf. potissimum Tabulae XV figuram 2', quae est forma partium diversarum Capnicaraeae.

Si quis quaerat, quod templum ab antiquis Atheniensibus in area Capnicaraeae exstructum fuerit, vereor, ut ex titulis — quamvis multi sint — multum effici possit. In Ephem. n. 1846 sq. p. 1014 sq. sunt choragici duo. In n. 3753 lin. 18 sq. legitur τὼ ἀγάλματε, lin. 21 τοῖν ἀγαλμάτοιν, lin. 22 τὼ ἀγάλματε, quae signa aut Castorum aut Apollinis et Dianae aut Cereris et filiae esse Pittaces arbitratur p. 1925. Acquiescit autem in novissima coniectura, esse Cererem et filiam. Hoc marmor repertum est ad orientem versus ab Capnicaraea, in cuniculo, ut facilius credas iam inde ab antiquo tempore ibi fuisse.

Idem in Ant. Athen. p. 491 sq. temere confudit et commiscuit titulos non eodem loco repertos**). Ex iis quos affert modo C. I. n. 395 p. 446 et n. 588 p. 495 ad Capnicaraeam inventi sunt.

---

*) Ecclesiae partes et dies a G. Kohlmanno accepi. Pro d. 21 m. Novembris erat qui diem 15 m. Augusti ederet, sed plus tribuendum esse duxi Kohlmanno; cf. Cap. XX.

**) Disputat ita quasi C. I. n. 294 p. 401 ad Capnicaraeam repertus sit, qui est repertus in basilica quae vocatur Catholicon i. e. in metropoli (minore). Titulus n. 375 (non 376) p. 437 aeque alienus est; repererunt ad ecclesiam cathedralem i. e. ad metropolin (minorem); cf. p. 118, Μητρόπολις. Titulum n. 381 p. 440 Τιβέριον Κλαύδιον κ. τ. λ. in qua parte urbis viderint, non constare puto.

Caput XVIII.

Regio urbis circa puteum Psyri sita.

N. 160.

Ἅγ. Ἀνάργυροι.

Sita est non procul a puteo Psyri propter tramitem qui inter Viam Anargyrorum et Viam Aristophanis intercedit. Trames vocatur ὁδὸς Τάκκη.

ΑΓ ΑΝΑΡΓΥΡΟΥ Schaubert. Non dubito quin scripserit nominativum Ἀνάργυρος.

77 Ἅγ. Ἀνάργυρος Lithogr. Monacensis.

132 Lithogr. Atheniensis.

Singularis Ἀνάργυρος improbandus, si quidem Ἀνάργυροι*), ut in Graecorum fastis feruntur, etiam ad Athenienses pertinent. Sunt autem bini, Cyrus et Ioannes, Cosmas et Damianus**). Illis priores, ut videtur, anni menses (d. 31 m. Ianuarii, d. 28 m. Iunii), his posteriores (d. 1 m. Iulii et d. 1 m. Novembris) obvenerunt***).

---

*) Anargyri divina ope morbis hominum medentur et gratis medentur. Nam suae utilitatis immemores ab omnique lucro alienos significat nomen; contrarium est φιλάργυρος. Cf. Ed. Muralti Epistol. p. 194 Version. Lipsiensis, et eiusdem Lexidii p. 19 Vers. Lips.; Rossius quoque in Archaeol. II p. 135 nomen explicavit.

**) Praeter hos Heldricus, in schedis nuper ad me missis, Anargyros recenset: Panteleemonem et Hermolaum, Samsonem et Diomothem, Tryphonem et Dalaleum et Mucium et Anicetum; quorum in fastis alios non eo nomine insignitos reperio (Panteleemon, cui d. 27 m. Iulii agitur, ἰαματικός vocatur; in d. 12 m. Aug. adscriptum: Φωτίου καὶ Ἀνικήτου τῶν Μαρτύρων), alios in iis quidem fastis, quos Athenis emi, omissos esse video.

***) Heldricus tamen unum in omnibus Anargyrorum ecclesiis diem 1 m. Iulii sancte et religiose celebrari affirmat, ceteris diebus acoluthias legi; vetatque singulos dies in singulas ecclesias distribui. Ut nunc consueverint unum diem 1 m. Iulii celebrare, a maioribus quidem unum et eundem in omnibus Anargyrorum ecclesiis diem institutum esse vix adducor ut credam; quamquam in ecclesia n. 160 non mirum diem 1 m. Iulii agi, si quidem Cosmae et Damiano dedicata aedes est ab eo qui condidit. Ex fastis enim intelligitur, eum diem esse τῶν ἁγ. Ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ.

Demetrius Colocynthes sacerdos Athenis coenobium monacharum Anargyris dedicavit, Cosmae et Damiano. Confirmatum et comprobatum est ab Ioannicio Archiepiscopo Constantinopolitano literis d. 17 m. Iulii an. 1651 datis. Ioannicii literae editae exstant in Ephemer. p. 945 sq. Extrema in p. 945 sq. haec sunt: ἀφιέρωσε μὲν τῷ Θεῷ τὸν ναὸν τῶν Ἁγίων καὶ Θαυματουργῶν Ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, (κτῆμα) προπατορικὸν αὐτοῦ ὄν, ἐν ᾧ αὐτός τε | p. 496 καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ καταγόμενοι ἔψαλλον τῷ Θεῷ· ἀνέθηκε δὲ τῷ ναῷ πᾶσαν τὴν πατρικὴν αὐτοῦ κληρονομίαν, τήν τε ἐντὸς τῆς περιοχῆς τοῦ ναοῦ καὶ τὴν ἐκτός, κελλία (cf. p. 67 not. **) δηλαδή, καὶ δένδρα ἐλαιῶν, καὶ ὀσπήτια (domus), ἀνώγαια καὶ χαμόγαια, καὶ ἀμπελῶνας, καὶ πρὸς τούτοις σκεύη ἱερὰ καὶ κοιμήλια τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας. Haec ad Anargyros n. 160 puto referenda esse.

Fundus (δένδρα ἐλαιῶν — — ἀμπελῶνας) videtur is fuisse qui in oliveto situs etiamnum Κολοκυθοῦ nominatur. Cf. tabulam urbis ab Calerge confectam. Nam Κολοκυθοῦ nomen esse crediderim illius sacerdotis, quamvis accentus non idem sit. Ephem. p. 943 et 945 scribitur Κολοκύνθης. Quae autem inter vicum Κολοκυθοῦ et aedem 160 interest via, si domos suburbanas et urbem exceperis ὁδὸς Κολοκυθοῦ in Calergis tabula vocatur. Scilicet ea via a villa Demetrii Colocynthae perveniebatur ad aedem 160, cuius appendicula ea villa erat donante Demetrio, fere ut via Petracis ad Asomatos Petracis pervenitur.

Aedem ante an. 1651 conditam esse inde apparet, quod iam maiores Demetrii ibi sacra dicuntur fecisse (ἐν ᾧ αὐτός τε καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ καταγόμενοι ἔψαλλον τῷ Θεῷ, Ioannic. in Ephem. l. l. Cf. Surmel. π. δήμ. p. 123). Itaque quod legimus, dedicasse eum et consecrasse deo aedem (ἀφιέρωσε μὲν τῷ Θεῷ τὸν ναὸν τῶν — — Ἀναργύρων ibid.), non novam sed renovatam, neque a se primo factam sed refectam et exornatam suis sumptibus dedicavisse patet Demetrium, quae ἐγκαίνια Graeci vocant*).

*) Iterum anno 1690 conditum aut renovatum esse monasterium L. Rossius in Arch. II p. 147 cf. 139 constare scribit, famam, ut opinor, hominum secutus. „Constat“ scilicet inter Athenienses!

Ad Anargyros 160 fortasse pertinet index Fourmonti in C. I. n. 262 p. 365: in aula S. S. Cosmae et Damiani.

Eorundem num mentio sit in Pittacis Antiquis Athenis incertum esse video; cf. eius libri p. 100.

N. 161.

Ἁγ. Παρασκευή.

Propter viam Anargyrorum G. Kohlmannus aediculam S. Parasceves designavit, cuius parietinas etiam nunc manere dicit. Nemo alius commemorat.

N. 162.

Ἁγ. Παρασκευή.

In n. 162 compita sunt in Anonymorum et Myconis (Μύκωνος) vias secta.

Exigua aedicula in fundo privato est, quem qui possidet clavem asservat. Fenestrae nullae. Posteaquam aperuerunt mulieres, videbam lucernam ardentem (cur enim Sancta Parasceve luce careat?) curtamque istam suppellectilem, qua illorum hominum religio contenta est.

Dicunt maiorem ibi S. Parasceves quondam fuisse ecclesiam, qua deleta damni sarciendi causa aediculam exstructam esse. Sed nec magnae nec parvae usquam mentio est ecclesiae sitae ibi ubi n. 162 posuimus.

N. 163.

Scapus Columnae.

Quem in viae Christocopidis amfractu Lithographus Atheniensis posuit numerum, signo non appicto, eum ita reddimus ut pro eius n. 129 nostrum n. 163 substituamus.

Fuisse ibi scapum columnae antiquae nunciant.

N. 164.

Χριστοκοπίδη.

Sita est propter viam ΧΡΙΣΤΟΚΟΠΙΔΗ. Ita scriptum nomen legitur in laminis publice affixis, quibus pleraeque nunc viae Athenarum distinctae sunt. De accentu dubitari non potest. Alii autem aliter scribunt; ac Fourmontus quidem accentu perperam posito Χριστοκοπιδῆ vocat, in C. I.

n. 719 p. 508 et n. 792 p. 516. Pittaces vocem disiungit, in Ephem. n. 1878 p. 1021 ἐνορία καλουμένη Τάκι παρὰ τὴν ἐκκλησίαν Χριστοῦ Κοπίδη et n. 2174 p. 1130 ἐκκλησίας καλουμένης Χριστός Κοπίδη. Rectius unum vocabulum facit Kohlmannus: Christokopídis, quam ego quoque formam Athenis audisse videor.

In Schauberti et Lithogr. Monacensis tabulis non reperitur nomen; signum cum numero 128 Lithographus Atheniensis posuit.

In loco propinquo quod Schaubertus scripsit ΑΓΟΡΑ, non satis mirari queo quid sibi velit, nec G. Kohlmannus, homo locorum peritus, ex quo per literas sciscitatus sum, explicavit. Ait erratum esse. Locus autem voce ΑΓΟΡΑ insignitus ut constet, viarum quae utrimque sunt altera ὁδὸς Ἀρτέμιδος, altera ὁδὸς Καραϊσκάκη nominatur. Cf. p. 105 not. *.

N. 165.

Ἅγ. Σωτήρ.

Fuit ubi via Miaulis desinit magnumque, quod hoc tempore patefecerunt, trivium est in vias Minervae et Mercurii sectum.

ΑΓ ΣΩΤΗΡ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

Signum habet Lithographus Atheniensis, numerum (fortasse 117) adscribere oblitus est.

N. 166.

Ἁγ. Ἐλεοῦσα.

Fuit prope tramitem cui viae Eleusae nomen, ad occidentem versus ab ultima via Minervae.

ΑΙ Ε . ΛΙ . . ΣΑ h. e. ΑΓ ΕΛΑΙΟΥΣΑ Schaubert.

53 ἁγ. Ἐλαιοῦσα Lithogr. Monacensis.

132 Lithogr. Atheniensis. Quum bis positus sit n. 132 — nam redit 132 in aede S. Anargyrorum — in alterutro loco erratum est. In S. Eleusae ecclesia scribi poterit 116.

Schaubertus minus recte ΕΛΑΙΟΥΣΑ, quod vitium prava diligentia expressit, qui Schaubertum sequi solet, Lithographus Monacensis. In calendariis Graecorum diem S. Eleusae sive Pietatis non reperio. Attamen ἁγίαν Ἐλεοῦσαν veram

nominis formam esse satis constat. Cf. Pittacis Ant. Athen. p. 513 et Ephemer. n. 585 p. 423. Priore loco scriptor aedis Eleusae situm eum esse dicit, ut ab S. Maurae ecclesia (n. 169 nostrae tabulae) ad meridiem vergat, quem esse situm ecclesiae in n. 166 nobis positae apparet.

Dicunt aedem Eleusae non tam deletam quam exauguratam publicisque usibus destinatam esse.

N. 167.

Ἁγ. Παρασκευή.

In flexu semitae Boreae, non procul a puteo τοῦ Βοριά aedem S. Parasceves G. Kohlmannus designavit, cuius non est mentio apud ceteros.

N. 168.

Ἅγ. Νικόλαος Κτενά.

Ecclesia Nicolai Ctená sive Borealis prope puteum τοῦ Βοριά fuit. Manet puteus, ad viam Minervae nunc situs, quam per angustissimas illas semitas et compitorum implicationes hoc tempore direxerunt.

ΑΓ ΝΙΚΟΛΑΟΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

140 Lithogr. Atheniensis.

Cognomen Κτενά a Kohlmanno („Nikólaos Ktená“) accepi*). Pittaces Demetrium Boream habet, in Antiquar. Athen. p. 512 Demetrium nominans, qui Nicolaus fuit. In propinquis compitis βρύσις τοῦ Βοριά est, unde flexuosissimae semitae nomen ductum esse patet. Nominatur aut iubetur nominari ὁδὸς Βορρέως (ΒΟΡΡΕΩΣ, publice inscriptum) sive Βορρέα („ΒΟΡΡΕΑ“; nominativ. „Βορρέας“; G. Kohlm.), hoc est semita Aquilonis; nam subesse volebant βορέαν sive βορρᾶν. Quare ut semitam Boreae ibi esse cupiebant ubi βρύσις τοῦ Βοριά est, ita ecclesia item cognomine Boreae insignis, dubitari non potest, quin in nostrae tabulae n. 168 fuerit. Eo loco autem Nicolaum Schaubertus fuisse testatur, neque vero Demetrium, quem scriptor Antiquarum Athenarum ob-

---

*) In schedis proxime ad me missis Κτενά gentis Atheniensis nomen esse dicitur.

trudit. Accedit quod Pittaces ad occidentem versus procedens ab aede S. Pacis 155 ad Demetrium istum — imo vero ad Nicolaum 168 venit, denique ad occidentem pergens S. Maurae 169 ecclesiam subiicit; quae tres ecclesiae rectam lineam faciunt, non plane quidem ad occasum solis sed etiam ad septemtriones spectantem. Pittaces igitur eum situm dicit ubi n. 168 posuimus.

Ne id quidem praetermittendum, Nicolaum etiam aliunde confirmari. Nam Nicolaum Borealem, non Demetrium Borealem, traditum est Athenis fuisse*).

N. 169.

Ἁγ. Μαύρα.

Non procul a puteo τοῦ Βοριά propter viam Minervae sita est. In plano erat antequam viam Minervae patefacerent et aggesta humo glareaque iniecta exaggerarent; nunc aliquot gradibus descenditur ad ecclesiam quasi depressam in terram.

ΑΓ ΜΑΥΡΗ Schaubert. Scribendum fuit Μαύρα.

Omisit imitator Monacensis.

141 Lithogr. Atheniensis.

In insulae Syrae ecclesia quadam vidi Mariam atro colore in tabula pictam, a qua differt S. Maura, cui Athenis aedes 169 dedicata est et d. 3 m. Maii agitur. Sanandis ulceribus S. Maura praesidere creditur quique contempserit eam et diem feriatum (3 m. Maii) profanarit facto negotio vel opere quotidiano, in eum vindicatum iri putatur, ut corpus operiatur ulceribus.

N. 170.

Ἅγ. Ἀθανάσιος.

Fuit proxime puteum Psyri, ubi nunc Platea Heroum est, ad meridiem et orientem sita ab aede Anargyrorum 160.

ΑΓ ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

133 Lithogr. Atheniensis.

Commemorari videtur in Ephemer. n. 2719 p. 1362: εἰς

*) Cf. C. I. n. 85 p. 124, qui titulus Athenis fuit „in basilica S. Nicolai Borealis". Edidit Boeckhius ex schedis Fourmonti.

τὴν ἐκκληςίαν τοῦ Ἁγ. Ἀθαναςίου εἰς τὴν ςυνοικίαν Ψυρὶ ἐν Ἀθήναις; n. 2731 p. 1366: εὑρέθη καὶ τὸ λείψανον τοῦτο ἐντειχιςμένον εἰς τὴν ἐκκληςίαν τοῦ Ἁγ. Ἀθαναςίου, ἣν νῦν καταδαφίζουςι; n. 2716 p. 1382: εὑρέθη καὶ αὐτὴ (ἡ ἐπιτύμβιος ςτήλη) εἰς τὴν κατακρημνιςθεῖςαν ἐκκληςίαν τοῦ Ἁγ. Ἀθαναςίου, εἰς τὴν ἐνορίαν Ψυρί. Itaque deleta aut deleri coepta est eo anno (1856) quo fasciculus 42 editus est.

Caput XIX.

Ecclesiae ad septemtriones sitae.

N. 171.

Ἅγ. Ἀπόςτολοι.

Sita ecclesia fuit ubi nunc Neapolis incipit, via Sophoclis Minervae viam secante.

46 „Agioi Apostoli“ Spon, an. 1678. Cf. Labordii Athen. II p. 26 et Additamenta. In tabula Sponii ecclesia extra moenia collocata est.

„La S:ma Trinita“ subscriptum simulacro ecclesiae legitur in urbe ab Anonymo Fanelliano an. 1687 adumbrata, apud Fanellium p. 313. Nomen utique falsum est, quoniam S. Trinitatis aedis non fuit unquam in eis locis, sed alibi; cf. p. 48, Ἁγ. Τριάδα. Situs autem aedificii is esse videtur, ut pro ecclesia S. Apostolorum haberi queat.

„S. Chiesa Grecha“ in prospectu urbis an. 1687 facto quem Labordius edidit in Additamentis. Quam S. Trinitatis ecclesiam Anonymus Fanellianus nominat, eandem esse atque ecclesiam Graecam in litera S significatam, ex situ et propinquitatibus locorum intelligitur, ut uterque aedem 171 adumbrasse videatur.

Ut Sponius ita Veneti extra moenia tunc sitam fuisse demonstrant; intra collocant Schaubertus et ceteri recentiores, quoniam an. 1778 novis muris Athenae munitae sunt.

ΑΓ ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

Lithogr. Atheniensis signum habet numero (fortasse 156) omisso.

In tabula an. 1834 confecta signum reperitur recte collocatum.

Dum erant moenia an. 1778 condita, ad n. 171 porta erat Patissiana sive porta S. Apostolorum, nomine ab ecclesia indito. Sita enim post portam erat in ipso pomoerio. — Suburbana ante eam portam regio Βάθια vocatur, cf. p. 150 not., Ἁγ. Κυριακή.

Surmeles, περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 130, urbis partem ad septemtriones spectantem Meliten nominatam olim fuisse ratus, in area S. Apostolorum 171 Herculem Melitensium sedem habuisse existimat; cf. Ἁγ. Δημήτριος Μπομπαρδάρης p. 54.

N. 172.
Ἅγ. Ἰωάννης ὁ Πρόδρομος.

Aedes nunc eversa in regione Gerani sita fuit. — Sponius an. 1678 in tabulae suae n. 47 posuit, quem locum qui cum situ columnae S. Ioannis (n. 11 Sponii) comparaverit, ex parte falsum esse reperiet. Ab columna enim ecclesia ad occidentem vergit, non ad orientem, uti oportuit. — Anonymus Fanellianus, ap. Fanellium p. 313, adscripto nomine confirmat in ea regione tunc fuisse „S. Baptistae“ ecclesiam. — Extra moenia sitam uterque adumbrat. Atque apud Sponium quidem paulo longius distat, Anonymus autem sic depingit, ut is murus, quo cingi S. Baptistae aedem facit, moenia urbis tangere videatur. — In prospectu urbis, quem edidit Labordius, eodem loco simulacrum quoddam ecclesiae conspicitur, nulla adscripta litera. Videtur autem litera T, quae in prospectu ipso excidit, eius simulacri explicandi causa in margine esse ubi legitur: T Chiesa Grecha, urbisque ab Anonymo Fanelliano adumbratae et prospectus Labordiani tanta similitudo ut easdem utrobique ecclesias exspectes. Itaque quod Anonymus scripsit, S. Baptistae ecclesiam esse, valet etiam ad alteram chartam et literam T.

ΑΓ ΙΩΑΝΝΗΣ Ο ΠΡΟΔΡΟΜΟΣ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

143 Lithogr. Atheniensis.

Schaubertus et Lithogr. Athen. ita collocant, ut in ipso

pomoerio esse aedes reperiatur, moenium ambitu tunc latius patente quam saeculo XVII quo Sponius et Anonymus Fanellianus urbem viderunt.

Ioanni Prodromo 172 cognomen fuisse Thermastrae ac diruta hac ecclesia, sedem S. Ioannis tralatam ad columnam 173 esse recentiore tempore, quamvis narrent, equidem non adducor ut credam. Cf. p. 148, Ἅγ. Ἰωάννης Κολώνα extr.

Pittaces in Ephem. p. 945 not. ita disputat quasi primo apud columnam 173 ecclesia Ioannis Calybitae fuerit; qua diruta in propinquo exstructam esse novam ecclesiam Ioannis Prodromi 172. Quibus verbis si dixerit compensandi causa alteram ecclesiam conditam esse — neque enim dilucide planeque dixit — sed si dixit, perquam inepte ista disseruit. Damnum fecit Calybita, sarciendi damni causa quid faciunt? restituunt non Calybitam sed Prodromum. Scilicet uterque Ioannes est. Ne id quidem, unde disputatio proficiscitur, verum est, Ioannis Calybitae aedem fuisse Athenis. Cf. p. 146 sqq., Ἅγ. Ἰωάννης Κολώνα.

Idem in Ephem. n. 4154 p. 2104 contendit in regione Gerani Ioannis Nesteutae aedem fuisse Turcis dominantibus, cuius mentio in Calendario est (m. Sept. d. 2: Μάμαντος μάρτυρος καὶ Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ). Νηστευτής et Πρόδρομος etsi eiusdem Ioannis cognomina sunt, locis tamen et temporibus differunt, ut confundere non liceat. Causam Pittacis ne ita quidem tuebimur, ut panegyrim etiamnum ab Atheniensibus agi dicamus Nesteutae. Agitur vero panegyris, sed aedem Ioannes Nesteuta non habet Athenis, quoniam homines peregre eunt nec in urbe eum diem festum celebrant *). Quid multa? iste memoria lapsus est, erravit.

*) Spyridon Sugaras, sacerdos Atheniensis, in schedis nuper mihi commissis haec habet: ἡ ἑορτὴ αὕτη (τοῦ ἁγ. Ἰωάννου Νηστευτοῦ) ἔλαβε τὸ ὄνομα ἐκ τῆς μεγάλης νηστείας ἥτις γίνεται κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν. Τελεῖται δὲ καὶ ἡ πανήγυρις αὕτη εἰς πολλὰς θέσεις, ὧν καλλίστη εἶναι ἡ ἐπὶ τῆς ῥάχεως τοῦ Ὑμηττοῦ ἥτις καὶ ὀνομάζεται Ἅγιος Ἰωάννης ὁ Κυνηγός, ἴσως διὰ τὸ πολὺ κυνήγι τοῦ τόπου. Ἐνταῦθα διαπρέπουν μάλιστα αἱ ἀρβανίτισσαι ἐν τῷ χορῷ. Tum pagos quosdam Atticae subiicit, ubi eum diem celebrari dicit. — Id autem, quod gravissimum est sacerdos omisit. Nam hoc maxime quaeritur, ubi Athenienses eam panegyrim celebrent. Est autem aedes Atheniensium et Piraeotarum communis, quo utrique conveniunt diei festi agendi causa,

Paginae illae Ephemeridum in lucem prodierunt anno 1860 quo tempore plerique obliti erant, cui dedicata fuisset ecclesia 143, triginta fere annis ante deleta. Mirere tamen quod editor quum septem annis ante, an. 1853, verum nomen prodidisset, cf. Ephem. n. 1934 p. 1031, tam cito oblivioni dedit.

Postremo idem in urbis parte ad septemtriones spectante sitam Ioannis Theologi aedem commemorat, in Ephem. n. 906 p. 542, qui fasciculus anno 1842 editus est. Ioannis Theologi s. Evangelistae ecclesia non fuit ulla unquam in eis locis, quae Pittaces significat. In eadem igitur aede 143 errasse aliter videtur, ut Theologum vocaret, qui Prodromus esset.

N. 173.

Ἅγ. Ἰωάννης Κολώνα.

In regione Gerani, aedes perexigua, circa antiquam columnam aedificata, prope abest ab theatro quod Ottone regnante exstruxerunt. Ante annum 1821 ibi erant moenia Turcarum ut columna illa in ipso pomoerio surgeret.

In tabulis, quibus ego utor, non reperitur ecclesiae nomen; commemoratur in Ephemer. n. 1927 p. 1029 sq. L. l. titulum editor se reperisse dicit οὐ μακρὰν τῶν Ἠρίων Πυλῶν, παρὰ τὴν ἐκκλησίαν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου Κολώνα ἐπικαλουμένου, qua definitione eum locum significari, quem supra indicavi, patet ex his verbis ib. n. 1463 p. 913: πλησίον τῶν Ἠρείων Πυλῶν, οὐ μακρὰν τοῦ σημερινοῦ Θεάτρου.

Iam anno 1835 in Antiquar. Athen. p. 507 Pittaces de

---

sita illa quidem in oliveto inter urbem et Piraeum. Aedes non solum ἐκκλησία τοῦ ἁγ. Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ appellatur sed etiam τοῦ ἀνθοκεφαλιστοῦ et τοῦ θερμαντοῦ. (Haec supplementa Heldrico debeo.) Θερμαντής sine dubio propter febres vocatur, quoniam non modo dies Ioannis Baptistae m. Aug. 29, verum etiam Nesteutae m. Sept. 2 in id tempus incidit, quo febribus aegri homines esse solent. Idem etiam ὁ Κυνηγός nominatur, non in urbe sed in monte Hymetto (vide quae supra ex schedis sacerdotis exscripsi). Ad urbem si quis cupiat referre, titulo illo in arce reperto uti possit, qui legitur in Ephemer. n. 835 p. 512. Eius titulo in lin. 9 sqq. haec sunt: τῇ μονῇ τοῦ Προδρόμου τῇ τοῦ Κυνηγοῦ οὔνομα κεκλημένῃ. Sed Athenis non exstant vestigia monasterii Ioannis Venatoris verbaque tituli ad Hymettium monasterium spectare existimandum est. Cf. Dionysii Surmelis περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 68 sq.

ecclesia S. Ioannis „Colonna" disputaverat. Qui febri laborant, filum bombycinum, inquit, ad columnam illam applicare solent divinaque ope sperant fore ut sanentur*). — Ex Heldrico, hospite meo Atheniensi, de ea superstitione haec cognovi. Is qui febri laborat, ipse adest ad ecclesiam 173 atque in columna, quae per tectum in penetralia aedis descendit, ut ab iis qui introeunt conspici tangique possit, filum figit cera litum, quod genus filorum venit ad ecclesiam. Filum autem figens morbum videtur defigere ab seque prohibere. Sunt quoque qui tenues fasciculos capillorum, numos, perexiguos panniculos placandi numinis causa apportent. Febrim igitur posteaquam is, qui aeger febri est, defixit in columna, vim numinis rite precatus accensam candelam dat donatque Ioanni. Tum vero cum spe meliore egressus aede domum redit.

Propter curationes febrium S. Ioannem, qui aedem propter columnam habet, Thermastram vocant, nam θερμαίνεσθαι est febricitare. Qui morbus quum mensibus Augusto et Septembri late vagari et redire quotannis soleat, tot sunt homines aegri ac supplices ut scapus columnae qui intra aedem est, plane operiatur et obtegatur filis istis. Est etiam ut quis figat extrinsecus **).

Caerimoniae, quibus febres curari posse credunt, etsi auctumno maxime fiunt, tamen non sunt statae, ut certus quidam dies exspectandus sit. Solemnia in ecclesia n. 173 redeunt d. 29 m. Augusti, quo die ἡ ἀποτομὴ τῆς κεφαλῆς Ἰωάννου τοῦ Προδρόμου celebratur. Mensis Augusti igitur die 29 amphoram impletam aqua in ecclesia ponunt nec auferunt, donec altera lux orta est. Tunc redeunt ad sedem Ioannis et aquam quasi consecratam domum reportant, ut habeant quo remedio utantur.

---

*) Eam superstitionem ab antiquis Atheniensibus traditam scriptor existimat atque olim Τοξαρίδια i. e. diem festum institutum Toxaridi Scythae ibi agi solitum esse contendit. — Eadem opinio est Dionysii Surmelis, περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 171 not.

**) In ea columnae parte, quae supra tectum exsurgit atque extrinsecus cernitur, obscuras quasdam vidi particulas, quas vestimentorum esse putabam, affixas illas quidem auctumno superiore.

Ecclesiam S. Ioannis in Columna s. Thermastrae plerique neglexerunt. Bonorum scilicet antiquariorum oculos praestringebat illa columna ut aediculae immemores essent silentioque praeterirent. Ac Sponius quidem, an. 1678, quam in n. 47 posuit, non Thermastrae posuit aedem, sed aliam in n. 172 nostrae tabulae significatam. Attamen columnam, quam in suae chartae n. 11 denotavit, idem tradit „S. Ioannis“ vocari, cf. Labordii Athen. II p. 25, ut credere liceat, ecclesiam quoque tunc ibi fuisse Ioannis.

Qui novem annis post Sponium, an. 1687, urbem Comitis S. Felicis auspiciis descripsit, Verneda *), homo diligens et metator, in loco minusculum simulacrum columnae posuit ex basi quadam cubica exstantis. Quam basim nunc quidem non esse constat. Olim igitur columna ex marmore quadrato surgebat? basim istam sustulerunt manente columna? imo vero ea non est basis sed aedicula S. Ioannis. Ita illud quoque explicatur, quod Vernedae columna non tam ex medio fundamento quam ex latere ascendere videtur **); etenim posticam ecclesiae partem scapus tenet ad orientem versus, quo vergere solent ecclesiarum penetralia.

Atheniensium opinio est quondam plures fuisse columnas, deiectas plerasque esse barbarorum incursionibus; cf. Ephem. p. 945 not. Quum starent columnae, priusquam in Atticam barbari invasissent, aedem ibi fuisse Ioannis Calybitae, Pittaces l. l. demonstrare studuit neque tamen demonstravit. In fragmentis illis Monachi Atheniensis, cf. p. 44, "Αγ. Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης, legisse sibi haec videtur: ἐπὶ δὲ Γαλλιηνοῦ οἱ Σκύθαι ὡρμήσαντες (sic) πανστρατίᾳ (sic) κατὰ τῆς Ἑλλάδος ἐλεηλάτησαν πᾶν τὸ παρατυχόν, καὶ φθάσαντες καὶ ἐς τὰς Ἀθήνας ἐλεήλάτησαν τὰς γαίας αὐτῆς, καίοντες τὰ δένδρα της καὶ κρημνίζοντες τοὺς ναοὺς ὅτε καὶ ἕξ στήλας τοῦ Κολυμβίτου ἔρριψαν κ. τ. λ. Fallmerayerus extrema verba aliter: ἕξ στή-

*) Apud Fanellium p. 317. — Cf. Labordii Athen. II p. 180 not. 2. Vernedae nomen in tabula nullum, nullius mentio nisi S. Felicis. Vernedae tamen ea tabula potissimum debetur.

**) Quod si quis cernere suisque oculis indicare cupit, librum Fanellianum potius quam Athenas Labordii inspiciat. Minusculam eius tabulae similitudinem Labordius expressit, ipsam tabulam imitatus est Fanellius.

λας τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς ἔρριψαν, et recte legit, ut opinor. Imperante Gallieno (an. 261—268 p. Chr.) anno 262 Asiam et Graeciam vastatam esse a Gothis (Scythas vocat Zonaras, Annal. XII 23 = t. II p. 539 ed. Pinder.) eamque migrationem etiam ad Athenienses pertinuisse, ab aliis quoque scriptoribus traditum est; cf. Surmelis Κατάστ. Ἀθ. p. 17. Novum autem et inauditum sedem S. Patr. Ioannis Pauperis et Calybitae, cf. Siberi Martyrol. p. 16, iam anno 262 fuisse Athenis*), quo anno, si Christiani erant, sacra quidem certe non licebat publice facere. Itaque si Pittacem secutus Anonymum scripsisse τοῦ Καλυμβίτου opinere, non potes facere quin id ipsum quod concedis falsum esse arguas. Dubium autem an Pittacis lectio non vera sit. Nam templa (κρημνίζοντες τοὺς ναούς) quae Anonymus dicit antiqua potius Iovis aliorumque deorum interpretere quam recentiora ab Christianis exstructa aut refecta. Libet etiam quaerere, quae fuit Ioannis Calybitae quondam columna, cur nunc sit Ioannis Baptistae; quem ibi olim diem festum celebraverunt 15 m. Ianuarii **) ad memoriam illius Pauperis, cur desierint celebrare, maluerint diem 29 m. Augusti agere Praecursori. Quod Pittaces l. l. nunc esse nomen aediculae columna insignitae scribit τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Πτωχοπροδρόμου, id vereor ne aut ab imperitis hominibus acceperit aut suam coniecturam ut tueretur ipse excogitaverit. Etenim Pauperem et Praecursorem quum diversos esse videret, vellet autem Pauperis illius memoriam nunc etiam servatam, contaminavit et confudit, pauperem praecursorem nescio quem inducens, quoniam id quidem negare non poterat, aediculam columnamque nunc esse Praecursoris. Imo vero, si unquam Athenis fuerit sedes Pauperis, fatendum erit, non liquere ubi fuerit. Fuisse autem non

*) Nuper Cephissiae repertus est titulus ex quo taurobolium anno 387 post Chr. Athenis factum esse intelligitur; lin. 1 sq.: μετὰ τὴν ὑπατείαν Ὀνωρίου καὶ Εὐοδίου i. e. post an. 386 p. Chr. Misit U. Koehlerus. Duobus igitur saeculis post aetatem Gallieni antiquae religiones valuerunt.

*) In calendariis, quibus nunc Graeci utuntur, is dies fertur. Adscriptum legitur: Παύλου τοῦ Θηβαίου καὶ Ἰωάννου τοῦ Καλυβίτου. In Act. Sanctor. ab Rollando edit. tom. I p. 1029 praeter d. 15 m. Ianuarii alius dies traditur: d. 27 m. Februarii, ut dies incertus esse aut tunc quidem fuisse videatur.

constat nisi dubia illa lectione. Accedit quod qui scripsit monachus dubiae ipse quoque fidei auctor est in re tam antiqua *).

Denique quaeritur quo fuerit tempore Ioannes Calybita. Quod etsi non constare video, tamen tantum ex Actis Sanctorum**) intelligitur, multo post Gallieni regnum natum esse, nisi in re perobscura, idoneis auctoribus nullis atque aliis alia***) tradentibus, omni quaestione et iudicatione supersedendum est.

Quod fando acceptum ab hominibus Atheniensibus Kohlmannus perscripsit, ecclesiam in n. 172 sitam quum demoliti esssent transtulisse ad columnam 173, errasse arguendi sunt isti, quos auctores secutus est, si negant tunc, quum illa aedes 172 dirueretur, fuisse ecclesiam in n. 173; sin sacra, summa religione ac caerimonia culta, ut servarentur, in aede Ioannis ad columnam posita esse volunt, fortasse audiendi sunt. Ego vero ut illud improbo ita ne hoc quidem ab omni parte probo, quod non tam istis narrantibus debetur quam istorum commenta interpretanti mihi. Nam traditur nihil nisi translatam esse aedem Ioannis ab altero loco (172) in alterum (173), quod falsum est, quia constat pervetustam esse aedem Ioannis in columna 173, Ioannis autem alteram ecclesiam fuisse hoc saeculo (ante an. 1821).

Illud quoque pro commento habendum, quod in Kohlmanni indice cognomen Thermastrae ad aedem 172 transfertur. Falsum cognomen imposuisse videntur ut tralatam eo contenderent ubi sedem Thermastrae esse constat. Fabula nunc demum, ut opinor, ficta et evulgata. Etenim ecclesia 172 donec erat nemo Thermastrae cognomen tradidit.

---

*) Post an. 1651 illa fragmenta scripta esse constat; cf. p. 44, Ἅγ. Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης et Rossii Archaeol. II p. 117.

**) Vir clarissimus H. Ratjenus, professor Kieliensis, quo summo in me est semperque fuit officio, ingentia illa volumina inspexit verbaque descripta manu sua mihi misit. Leguntur in editionis Io. Rollandi tom. I p. 1029.

***) Alii enim medio fere saeculo quinto, alii ineunte octavo post Chr. scribunt Ioannem fuisse. Ecclesiarum quoque duarum in Actis Sanctorum mentio fit, unius quae Constantinopoli alterius quae Romae sit in insula Tiberina.

N. 174.

Ἅγ. Ἀθανάcιοc.

Fuit non longe ab columna S. Ioannis 173. Via Aristophanis ibi fere in transversam viam nunc desinit, qua ab Neapoli vetus urbs separatur. Transversa via ab Euripide poëta nomen habet.

ΑΓ ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ Schaubert.

76 ἅγ. Ἀθανάcιοc Lithogr. Monacensis.

134 Lithogr. Atheniensis.

Commemorari videtur in Ephemer. n. 1866 p. 1019: ηὗρον αὐτὴν (τὴν ἐπιτύμβιον cτήλην) τὸ 1831 Ἰουλίου 10, εἰc τὸ βόρειον τῆc πόλεωc τῶν Ἀθηνῶν εἰc τὸ καλούμενον Αἰγινητικὸν Μετόχι, παρὰ τὴν ἐκκληcίαν τοῦ ἁγ. Ἀθαναcίου.

In Schauberti tabula aedes Athanasii 174 linea quadrata cingitur, ut aula accessisse videatur, quae formam et speciem ipsius aedis referret. In tabula Athenarum, quae an. 1834 facta est, linea quadrata redit, id latus autem, quod ad septentriones vergit, totum occupatur aedificio. Quaerere licet, num id sit illud Αἰγινητικὸν μετόχι. Colore quidem eo signum est, quo, qui tabulam fecit, domos privatas denotare solet.

N. 175.

Ἅγ. Δημήτριοc ὁ Νέοc.

Sita ecclesia est non procul a via Demetrii.

ΑΓ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ Schaubertus.

Omisit Lithogr. Monacensis.

135 Lithogr. Atheniensis.

Cognomen Pittaces tradidit in Ant. Athenarum p. 516 et Ephem. n. 1780 p. 1000. Quum titulus in Ant. Athen. l. l. (Rang. n. 469 p. 163) editus, ut post Demetrii Novi aedem commemoratam l. l. legitur, ita propter eam aedem inventus esse videatur, non omittendum, quod ib. p. 517, 19 (Rang. l. 29) legitur: τ]οῦ βουλευτηρίου ἐν τῷ Ἐλευcινίῳ. (Ib. p. 517, 2: ἐν τῷ Ἐλευcινίῳ, quae verba non habet Rang.) Neque tamen ut ad Eleusinium statueretur marmor illud, cautum fuisse videtur in decreto. Sed sive in arce (cf. Rang. lin. 18) sive ad Eleusinium olim collocarunt, Eleusinium certe non in n. 175 fuit, sed alibi; cf. p. 92, Ἅγ. Ἀπόcτολοι Cολάκοι.

Si lapis ille, ut nos quidem putamus, olim in alia

urbis parte fuit, inde videri possunt asportasse, ut moenia vetustiora illa, a Sponio et Venetis repraesentata, struerent. Nam saeculo XVII pomoerium fere ibi erat, ubi nostrae tabulae numeri 175, 176, 177 sunt; cf. p. 151, Παναγία Χρυσοσπηλιώτισσα.

N. 176.

Ἁγ. Κυριακή.

A via Acharnana ad occasum versus sita est, ubi ex Neapoli in vetustiores urbis partes itur via Minervae.

ΚΥΡΙΑΚΗ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

142 Lithogr. Atheniensis.

Rara apud antiquarios eius ecclesiae mentio est. In Ephem. n. 1779 p. 100 Pittaces: ηὗρον αὐτὴν (τὴν ἐπιτύμβιον στήλην), inquit, πρὸς τὸ δυτικὸν μέρος τῆς Ἀχαρνικῆς πύλης, παρὰ τὴν ἐκκλησίαν τῆς ἁγίας Κυριακῆς. Solet autem Pittaces mentionem Cyriaces ita evitare, ut, si qui titulus ibi inventus est, ad portam vel viam Acharnanam inventum dicat.

Monumenta, quae multa in iis locis repererunt, pleraque sunt sepulcrorum, pauca ad alias res pertinent. In Ephem. n. 369 p. 307 legitur: ἐπειδὴ Πολύευκτος ἄρχων κατασταθεὶς ὑπὸ Μεσογείων τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπὶ Ὀλβίου ἄρχοντος ἐπεμελήθη τῆς τε [θυσία]ς καὶ τῆς πομπῆς τῷ Ἡρακλεῖ κ. τ. λ.; n. 1825 p. 1009 [Ἀπόλλωνος Ἀγυι]έως Ἀλεξικάκου; n. 2662 p. 1322 decretum XC versuum, fortasse aliunde importatum; n. 3884 p. 1996 βασι[λ]εῖ Ῥοιματάλκα. Aliunde importati hi lapides et alii videri possunt, quod dubitari nequit, quin ad moenia vetustiora struenda materiam undique congesserint. Eorum autem moenium ductus ad haec maxime loca, cf. p. 151, Παναγία Χρυσοσπηλιώτισσα, pertinebat.

Ecclesiarum nominibus nisi editor antiqua loca praetulisset, dubitari non potest, quin dicturus fuerit titulorum ad „portam“ vel „viam Acharnaram“ inventorum alios apud S. Apostolos 171, alios extra portam Apostolorum inventos esse. Nam quos supra laudavi, n. 369 et 388, invenerunt in regione quae Βάθεια sive Βάθια*) nunc vocatur. De Bathia

*) Qui pagus olim ibi fuerit non consentiunt Pittaces, Ephemer. n. 369 p. 307 et n. 388 p. 322, et Surmeles l. l. Nomen recentius

regione suburbana et locis propinquis Surmeles περὶ δήμων Ἀττικῆς p. 129 sq. ita disputat, ut ecclesiam S. Apostolorum 171 non fuisse in Bathia appareat multoque minus S. Cyriaces 176.

N. 177.

Παναγία Χρυσοσπηλιώτισσα.

Sita est propter vias Aeoli et Chrysiospeliotissae.

48 „Chrysospiliotissa" Spon., cf. Labordii Athen. II p. 26 et tabulam in Additamentis editam. — Numerus 48, extra moenium ambitum scriptus a Sponio, pertinere videtur ad signum aedis intra positum in pomoerio.

In prospectu urbis Athenarum, quem Labordius edidit in Additamentis libri, cf. Labordii Athen. II p. 150 not. 2, exiguae ecclesiae effigiem vides non procul a S. Ioanne Baptista, hoc est non procul a nostrae tabulae n. 172 collocatam, sitam illam quidem in ipso pomoerio ubi paullum procurrit muri crepido. Litera adscripta nulla; situs tamen facit ut ecclesiam Panagiae Chrysospeliotissae 177 significari existimem.

Anonymus Fanellianus etsi loca eodem fere modo adumbravit, nihil tamen in ea tabula reperio, quod pro ecclesiae 177 simulacro haberi possit.

ΧΡΥΣΟΣΠΗΛΙΩΤΙΣΣΑ Schaubert.

51 Χρυσοσπιλιώτισσα Lithogr. Monacensis. Cf. p. 29, Χρυσοσπηλιώτισσα.

144 Lithogr. Atheniensis.

Quum recentiores, Schaubertus et Lithographi, non iisdem muris saeptam urbem repraesentent, quibus vetustiores, consentaneum est, ecclesiam 177 non in pomoerio sed prope compita urbis collocari.

N. 178.

Ἁγ. Παρασκευή.

Sita est, domui privatae similis, propter viam Aeoli, paucisque passibus distat ab aede Panagiae Chrysospeliotissae 177. Per ianuam humi depressam descenditur in loca quae

(Βάθεια) ab antiquo (ΒΑΤΗ, Βατή, Βατῆθεν) ductum ille putat quod in titulo n. 369 legitur Βατῆθεν; hic quae olim Κοίλη fuerit nunc Βάθιαν esse iudicat.

inferiora sunt quam via. Superiore tempore in plano sitam fuisse existimandum est. Cf. p. 140, 'Ἁγ. Μαύρα.

ΑΓ ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ Schaubert.

50 ἁγ. Παρασκευή Lithogr. Monacensis.

145 Lithogr. Atheniensis.

Inventus ibi esse titulus videtur quem et in Ephemer. n. 525 p. 398 et in Ant. Athen. p. 504 sqq. edidit Pittaces. Porta enim Acharnana, cuius mentio est in Ant. Athen. p. 503, facit ut de regione urbis dubitari non possit. Nempe antiquae urbis portam, quam l. l. nominat, ibi fuisse credidit ubi nunc publice inscriptum nomen Viae Acharnanae legitur. Via autem Acharnana, ὁδὸς Ἀχαρνική, non procul abest ab aede 178.

N. 179.

Ἅγ. Θεόδωρος.

Ecclesia S. Theodori non procul a via Praxitelis est ad novam urbem versus. E regione via Chrysospeliotissae itur in urbem veterem.

45 „Agios Theodoros" Spon., cf. Labordii Athen. II p. 26 et Additamenta.

„S: Arcangelo" quod subscriptum aedificio legitur nomen in urbe ab Anonymo adumbrata apud Fanellium p. 313. Nomen falsum est, situs ad nostrae tabulae n. 179 satis convenit.

„R Chiesa Grecha ora Corpo di Guardia" in prospectu urbis, quem in Additamentis edidit Labordius; cf. Labordii Athen. II p. 150 not. 2. Eandem ab utroque Veneto ecclesiam significari manifestum est, ut quod de illius simulacro ecclesiae, idem de huius iudicandum sit, S. Theodorum dici*).

Sponius quique eodem saeculo urbem viderunt Veneti, ad orientem versus extra moenia collocant, quae patet arctiora fuisse illis quibus cinctas Athenas recentiores, Schaubertus et aequales eius, descripserunt. Cf. p. 67, 'Ἁγ. Νικόδημος.

ΑΓ ΘΕΟΔΩΡΟΣ Schaubert.

---

*) Primo tamen fateor me dubitasse de utraque aedis effigie. Eandem quidem homines Veneti ecclesiam significasse videbantur sed nesciebam an S. Georgii 152 esset. Nunc mutavi sententiam, quod nimis ad orientem et meridiem S. Georgius spectat.

Omisit Lithogr. Monacensis.

146 Lithogr. Atheniensis.

Hanc ecclesiam, ut opinor, Pittaces Ephemer. n. 3154 p. 1590 dicit quum scribit: ηὗρον αὐτὴν (τὴν cτήλην) εἰc τὸ βόρειον τῶν Ἀθηνῶν, πρὸc τὸ βόρειον τῆc ἐκκληcίαc τῶν Ἁγίων Θεοδώρων*), εἰc τὴν οἰκίαν τοῦ ΚωcτατΖώρτΖη. Nam etsi non una fuit S. Theodori aedes Athenis, sed tres, eo tamen quo ille scripsit tempore, an. 1857, ceterae deletae erant, mansit autem manetque illa quae propter viam Praxitelis est. Accedit quod regionem caeli commemorat (πρὸc τὸ βόρειον τῶν Ἀθηνῶν), ita quidem ut Neapolim, quanta anno 1857 fuerit, prorsus negligere videatur. Nunc certe, si veterem et novam urbem comprehendis atque unas Athenas dicis, S. Theodorus in media urbe potius quam ad septemtriones versus sedem habet.

N. 180.

Ἁγ. Cιών.

Extra urbem veterem fuit ad montem Lycabettum versus, ibi fere ubi nunc Panepistemium (Universitas) est.

ΑΓ ΣΙΩΝ Schaubert.

Omisit Lithogr. Monacensis.

151 Lithogr. Atheniensis. Ecclesiam in n. 151 significatam non dubitamus quin Lithographus S. Sionis esse voluerit. Admovit autem propius ad urbis moenia quam debuit.

Hanc S. Sionis ecclesiam a Pittace dici in Ant. Athen. p. 488, supra negavimus. Cf. p. 129, Aedes ignotae.

N. 181.

Ἅγ. Δημήτριοc ΤΖηρίτηc.

Extra moenia a Chasece an. 1778 condita fuit, in planitie ea, quae inter Plateam Concordiae et viam Sophoclis interiecta est in Neapoli.

ΑΓ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ Schaubertus.

Lithographi non habent.

---

*) Pittaces usus plurali τῶν ἁγ. Θεοδώρων rectius locutus est quam qui singulari utuntur. Ecclesiae enim non uni Theodoro dedicatae sunt sed omnibus, quotquot reperiuntur in fastis. Vulgo tamen singularem usurpant.

Signo is denotavit qui anno 1834 urbem Athenas descripsit.

Cognomen Τζηρίτης, sive, ut Kohlmannus scribit, Ntsiritis graece explicatur ξυστοφόρος in Ephem. n. 203 sq. p. 1081. Etenim Ntsiriti voce Turcica iactum hastarum significari eoque loco Turcas in iaculando se exercuisse et ludos quosdam ac certamina equitum hastis concurrentium celebrasse dicunt. Forsitan antiqui Graeci eadem in planitie certaverint pedibus. In Inscriptionibus ibi effossis n. 2031 sq. p. 1081, ambabus in uno lapide insculptis, Theseorum et Epitaphiorum mentio fit, quibus ludis qui vicerat lampade illud monumentum posuit. In titulo apud [Demetrium, imo] Nicolaum Borealem*) (n. 168 nostrae tabulae) invento legitur: ἱεροποιοὶ ἀνέθεσαν τῷ Θησεῖ, Pitt. Ant. Ath. p. 512. Quum credibile sit Athenarum partem ab Thesei templo usque ad portam Apostolorum pertinentem olim non fuisse domibus crebram, licet sumere certamina Theseo instituta ibi agi solita esse in locis aequis et apertis.

Caput XX.

Dies festi,

αἱ πανηγύρεις, τὰ πανηγύρια.

῾Αγ. ᾿Αγαθόκλεια s. Οἰκονόμος (῾Αγία) n. 123. D. 17 m. Septembris vide p. 104.

῞Αγ. ᾿Αθανάσιος n. 44. 63. 170. 174. Athanasii Alexandrini**) memoria celebratur d. 18 m. Ianuarii et d. 2 m. Maii; huic Atheniensium dedicatae sunt ecclesiae. Ac sancte et religiose quidem agitur d. 18 m. Ianuarii: ᾿Αθανασίου καὶ Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπων ᾿Αλεξανδρείας, minore autem caerimonia d. 2 m. Maii: ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων ᾿Αθανασίου τοῦ Μεγάλου.

῾Αγ. Αἰκατερίνη n. 65. Dies 25 m. Novembris: Αἰκατερίνης μεγαλομάρτυρος καὶ Μερκουρίου μάρτυρος.

---

*) Cf. p. 139, Νικόλαος Κτενά.

**) Dies 5 m. Iulii: ᾿Αθανασίου τοῦ ἐν τῷ ῎Αθῳ nihil pertinet ad Athenienses.

Ἅγ. Ἀνάργυροι n. 5. 71. 160. D. 1 m. Iulii: τῶν ἁγ. Ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ potissimum agi dicitur, agi vero etiam d. 31 m. Ianuarii, d. 28 m. Iunii, d. 1 m. Novembris. Vide n. 160 p. 135.

Ἅγ. Ἀναστάσιος Κουρκοῦρι n. 47. D. 22 m. Ianuarii: Τιμοθέου τοῦ Ἀποστόλου καὶ Ἀναστασίου τοῦ Πέρσου.

Ἅγ. Ἀνδρέας n. 148. Andreas Apostolus, cui ecclesia 148 dedicata est, colitur die 30 m. Novembris*): Ἀνδρέου τοῦ πρωτοκλήτου Ἀποστόλου.

Ἁγ. Ἄννα n. 13. 29. Dies Annae est 9 m. Decembris: ἡ σύλληψις τῆς ἁγ. Ἄννης τῆς θεομήτορος eumque unum Heldricus edit in schedis ad me missis. Neque tamen, ut opinor, negliguntur d. 25 m. Iulii et d. 9 m. Septembris. Nomen Annae quid sibi velit ad d. 9 m. Septembris adscriptum ex die proxime priore intelligitur, ubi τὰ γενέθλια τῆς Θεοτόκου feruntur in fastis. Cf. n. 13 p. 21 not. **.

Ἅγ. Ἀντώνιος n. 63. D. 17 m. Ianuarii: Ἀντωνίου τοῦ Μεγάλου.

Ἅγ. Ἀπόστολοι n. 108. 171. Religiose agi constat d. 29 m. Iunii: Πέτρου καὶ Παύλου τῶν κορυφαίων Ἀποστόλων et d. 30 m. eiusdem: ἡ σύναξις τῶν δώδεκα Ἀποστόλων. Accedunt alii dies, quibus acoluthiae leguntur in ecclesiis **).

Ἅγ. Ἀσώματος n. 57. 117. 127. 135. In fastis unus reperitur dies 9 m. Novembris: ἡ σύναξις Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου καὶ τῶν λοιπῶν Ἀσωμάτων δυνάμεων. In Taxiarcharum ecclesiis idem dies celebrari videtur.

Ἁγ. Βάρβαρα n. 159. D. 4 m. Decembris: Βαρβάρας τῆς Μεγαλομάρτυρος καὶ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ.

Ἅγ. Γεώργιος n. 20. 30. 116. 152. Eidem Georgio omnes ecclesiae dedicatae sunt. Agi dicunt d. 23 m. Aprilis: Γεωργίου Μεγαλομάρτυρος καὶ Τροπαιοφόρου. Ex fastis addi potest

*) Dies 4 m. Iulii, d. 19 m. Augusti, d. 17 m. Octobris Apostolo alieni sunt.

**) Plus viginti dies praeter d. 29 et 30 m. Iunii in fastis reperiuntur Apostolorum nominibus insigniti neque duodecim modo illi, quos Matthaeus c. X nominat, in Sanctis numerantur sed creberrima etiam in fastis mentio est septuaginta Apostolorum. Omnibus his diebus nescio an acoluthias legant in Apostolorum ecclesiis.

d. 3 m. Novembris: ἡ κατάθεσις τοῦ λειψάνου Γεωργίου Μεγαλομάρτυρος, minore, ut opinor, caerimonia agendus *).

Diebus S. Georgii et S. Demetrii (d. 26 m. Octobris) annus civilis in partes prope aequales dividitur, quae partes ad multas res ususque vitae necessarios pertinent.

Ἅγ. Γρηγόριος n. 134. Quem Gregorium in aedicula 134 nunc eversa venerati sint non comperi nec fastorum ope iudicari potest. Complures enim reperiuntur Gregorii.

Ἅγ. Δημήτριος n. 51. 53. 90. 175. 181. D. 26 m. Octobris: Δημητρίου Μεγαλομάρτυρος τοῦ μυροβλήτου. Hunc diem in omnibus ecclesiis celebrari constat, neque alia Demetrii in fastis mentio. — De partibus anni supra dictum est.

Ἅγ. Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης n. 42. D. 3 m. Octobris: Διονυσίου ἱερομάρτυρος τοῦ Ἀρεοπαγίτου.

Ἁγ. Εἰρήνης n. 79. 155. D. 16 m. Aprilis: Ἀγάπης, Εἰρήνης καὶ Χιονίας τῶν αὐταδέλφων.

Ἅγ. Ἐλευθέριος n. 142. D. 15 m. Decembris: Ἐλευθερίου ἱερομάρτυρος. Cf. n. 142 p. 118.

Ἁγ. Ἑλένη. Vide p. 81 not. *.

Ἅγ. Ἐλισσαῖος n. 103. D. 14 m. Iunii: Ἐλισσαίου τοῦ Προφήτου καὶ Μεθοδίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.

Ἅγ. Ἠλίας n. 102. 115. D. 20 m. Iulii: τοῦ Προφήτου Ἠλιοῦ (sic) τοῦ Θεσβίτου in fastis est eumque diem agi constat.

Ἅγ. Θεόδωρος p. 53. n. 81. 179. Ecclesias rectius τῶν ἁγ. Θεοδώρων quam τοῦ ἁγ. Θεοδώρου nominari dixi in nota p. 153. Theodororum nobilissimi sunt illi quorum in fastis nomina adscripta leguntur ad d. 8 m. Februarii et d. 8 m. Iunii: Θεοδώρου τοῦ Στρατηλάτου, et ad d. 17 m. Februarii: Θεοδώρου τοῦ Τύρωνος sive Τήρωνος. Ab his duobus quum die Saturni primae hebdomadis ieiuniorum miraculum editum esse dicatur, tunc Theodoris agi panegyrium narrant. Dies vocatur καθαρὸν Σάββατον, hebdomas ἡ καθαρὰ ἑβδομάς. Sequitur ut non semper in eundem anni Iuliani diem panegyrium incidat, ut an. 1865 in d. 20 m. Februarii: .... καὶ ἀνάμνησις τοῦ θαύματος τοῦ Θεοδώρου τοῦ Τύρωνος, anno insequenti autem in d. 12 m. eiusdem.

---

*) Alieni sunt d. 4 m. Aprilis Γεωργίου τοῦ ἐν Μαλεῷ et d. 4 m. eiusdem Γεωργίου ἐπισκόπου Μιτυλήνης.

Ἅγ. Θωμᾶς n. 104. S. Thomam post pascha proximo die solis venerantur, quam Κυριακὴν τοῦ ἁγ. Θωμᾶ vocant. Venerantur autem unum Thomam Apostolum, ut d. 7 m. Iulii alienus sit. Die vicissim 6 m. Octobris minore apparatu solemnia fieri in ecclesia n. 104 existimo.

Ἅγ. Ἰωάννης ὁ Θεολόγος n. 74. In fastis sunt d. 8 m. Maii: Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ et d. 26 m. Septembris: ἡ μετάστασις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. Illum diem maiore, hunc minore caerimonia agi crediderim.

Ἅγ. Ἰωάννης ὁ Πρόδρομος n. 6. 172. 173. Unus dies 29 m. Augusti: ἡ ἀποτομὴ τῆς κεφαλῆς Ἰωάννου τοῦ Προδρόμου in schedis Heldrici commemoratur nec dubium est, quin is dies non solum ad ecclesiam n. 173 (quod constat) sed etiam ad n. 6 et 173 pertineat. In fastis praeter d. 29 m. Augusti hi reperiuntur: d. 25 m. Maii, d. 24 m. Iunii, d. 23 m. Septembris, quos minore apparatu in ecclesiis S. Ioannis Baptistae celebrari puto.

Ἅγ. Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος n. 60. Ex diebus tribus, d. 27 et 30 m. Ianuarii et d. 13 m. Novembris, quum unus coniectura reperiendus sit, qui sanctissime agi videatur, non poterit ambigi. Nam quum d. 27 m. Ianuarii ἀνακομιδή celebretur, alter dies eiusdem mensis communis sit Basilii, Gregorii, Chrysostomi, reliquus fit d. 13 m. Novembris: Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.

In schedis ab Heldrico mihi commissis nec Ioannis Evangelistae (τοῦ Θεολόγου) nec Chrysostomi mentio fit.

Ἁγ. Κυριακή n. 176. D. 7 m. Iulii: Θωμᾶ τοῦ ἐν τῷ Μαλαιῷ καὶ Κυριακῆς τῆς Μεγαλομάρτυρος.

Ἅγ. Κωνσταντῖνος n. 91. D. 21 m. Maii: Κωνσταντίνου καὶ Ἑλένης μεγάλων Βασιλέων καὶ ἰσαποστόλων.

Ἁγ. Μαρῖνα n. 50; p. 58. Panegyrium S. Marinae, omnibus notum Atheniensibus, agitur d. 17 m. Iulii: Μαρίνης τῆς μεγαλομάρτυρος. Cf. p. 52.

Ἁγ. Μαύρα n. 169. D. 3 m. Maii: τῆς ἁγ. Μαύρας καὶ Τιμοθέου τῶν Μαρτύρων celebrari constat. Cf. p. 140.

Ἅγ. Νικόλαος n. 1. 3. 12. 24. 48. 58. 122. 126. 136. 143. 153. 168. Unum d. 6 m. Decembris: τοῦ ἁγ. Νικολάου ἐπισκόπου Μύρων τῆς Λυκίας ex fastis enotaveram, eumque unum in S. Nicolai ecclesiis celebrari Heldricus confirmavit.

Παναγία sive Κυρά, quae rite vocatur Θεοτόκος. Dies festi, qui Panagiae non pauci aguntur, ab Sanctorum solemnibus ita differunt, ut suas quisque ecclesias attributas habeat. Itaque prius nominabimus solemnia, ecclesias subiiciemus.

D. 2 m. Februarii: ἡ Ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. — Ὑπαπαντή n. 16. — Cf. p. 21.

D. 25 m. Martii: ὁ Εὐαγγελισμὸς τῆς Θεοτόκου καὶ Ἀειπαρθένου Μαρίας. — Εὐαγγελίστρια n. 7. 19; Παναγία Ῥόμβη n. 158. Accedit Metropolis maior, p. 120. — Magno undique Christianorum conventu in insula Teno tunc celebratur panegyris.

D. 15 m. Augusti: ἡ κοίμησις τῆς Θεοτόκου*). — Παναγία Χρυσοσπηλιώτισσα n. 28. 177. — Cf. p. 29.

D. 23 m. Augusti: Λούππου μάρτυρος καὶ ἀπόδοσις τῆς ἑορτῆς τῆς Θεοτόκου sive Ἐννεάμερα τῆς Παναγίας i. e. dies post solemnia d. 15 m. Augusti agenda nonus. Panagiam autem eius diei Phaneromenen nominari Heldricus significat. Sequitur ut ecclesia Φανερωμένη n. 89 huc referenda sit. Eodem nomine quum Pyrgiotissa n. 110 appelletur, cf. p. 93, videri potest adnumeranda esse**).

D. 31 m. Augusti: ἡ κατάθεσις τῆς τιμίας Ζώνης τῆς Θεοτόκου. — Παναγία Ζώνη n. 76.

D. 1 m. Septembris: ἡ σύναξις τῆς Θεοτόκου. Quibus in ecclesiis is dies agatur non compertum est.

D. 8 m. Septembris: τὸ γενέθλιον τῆς Θεοτόκου. — Παναγία Βλασσαροῦ n. 114.

---

*) Quaeri potest num ad ecclesiam Atheniensium n. 89, Phaneromenen, idem dies pertineat, qui ad Cretensium monasterium, quia nomen sit idem. Ab Cretensibus enim in monasterio Phaneromene diem 15 m. Augusti celebrari diximus in nota p. 77. Malumus tamen Atheniensibus eum diem attribuere, quem in insula Salamine institutum et a monachis Daphniensibus in ipsa Attica observari constat; vide notam insequentem.

**) Heldricus in schedis nec n. 89 nec n. 110 aut aliam Atheniensium ecclesiam commemorat sed Salaminiorum Phaneromenen et monasterium Daphni, quod propter Viam Sacram est, atque eis in sedibus Panagiae agi dicit diem 23 m. Augusti. Atheniensium vero ecclesias omittit, non quo ad alium diem pertinuisse crediderit, sed propterea, ut opinor, quod deletae et eversae sunt. Schedae Heldricianae enim fere in iis versantur quae sunt, quae fuerunt negligi pleraque solent.

D. 21 m. Novembris: τὰ εἰcόδια *) τῆc Θεοτόκου. — Παναγία Μιcοcπορήτιccα n. 72; Εἰcόδια Κυρᾶc n. 106; Καπνικαραία **) n. 159; cf. Δύναμιc n. 146 p. 122 not. *.

Ἅγ. Παντελεήμων n. 67. 132. D. 27 m. Iulii: Παντελεήμονοc τοῦ μεγάλου τοῦ ἰαματικοῦ.

Ἁγ. Παραcκευή n. 35. 49. 105. 124. 161. 162. 167. 178. Unum diem 26 m. Iulii: Ἑρμολάου ἱερομάρτυροc καὶ τῶν cὺν αὐτῷ καὶ Παραcκευῆc τῆc ὁcιομάρτυροc Heldricus scribit agi.

Ἅγ. Cπυρίδων n. 92. 109. D. 12 m. Decembris: τοῦ ἁγ. Cπυρίδωνοc τοῦ Θαυματουργοῦ.

Cταυρομένοc n. 11. 80. D. 14 m. Septembris: ἡ ὕψωcιc τοῦ τιμίου Cταυροῦ ***).

Ἅγ. Cυμεών n. 4. Diem non comperimus nec ex fastis coniectura fieri potest, quod eodem nomine plures commemorantur.

Ἅγ. Cωτήρ n. 2. 70. 99. 119. 137. 150. 151. 154. 165. Unus agitur dies et agitur magnifice 6 m. Augusti: ἡ μεταμόρφωcιc τοῦ Κυρίου καὶ Cωτῆροc ἡμῶν Ἰηcοῦ Χριcτοῦ.

Ἅγ. Ταξιάρχηc n. 101. D. 9 m. Novembris. Vide p. 155, Ἅγ. Ἀcώματοc.

Ἁγ. Τριάδα n. 45. Panegyris postridie Pentecosten agitur. Itaque anno 1865 quum Pentecoste in d. 23 m. Maii incidisset, d. 24 solemnia facta sunt in aede n. 45. In fastis anni 1865 ea celebratio significata est insertis his verbis: τοῦ ἁγίου Πνεύματοc, ut adscriptum sit: τοῦ ἁγίου Πνεύματοc καὶ Cυμεῶνοc τοῦ ἐν τῷ θαυμαcτῷ ὄρει. Symeonis enim d. 24 est proprius.

*) Die 21 m. Novembris Panagia in templum venisse fertur atque novem annos ibi mansisse, publico carentem et secernentem se ab hominum commercio, quoad Christum pareret.

**) Quum ecclesiae n. 72 et 106 nunc nullae sint, monasterii n. 146 antem panegyris in monte Pentelico celebretur, ex iis aedibus, quarum panegyria cognita habemus, una Capnicaraea hoc tempore diem 21 m. Novembris agit Athenis. Cf. notam * paginae 134.

***) In Heldrici schedis d. 14 m. Novembris reperitur, quod erratum est. Nam quod ibidem reperitur nomen panegyrii: ἡ ὕψωcιc τοῦ τιμίου Cταυροῦ, constat celebrari die 14 m. Septembris.

Χριστός n. 75. 107. D. 25 m. Decembris: ἡ κατὰ Σάρκα Γέννησις τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, natalis Christi.

Saepe difficile factu fuit, aedibus deletis aut exauguratis, comperire quibus diebus panegyres agi solitae sint. Itaque non potuimus facere quin multas quae in hoc capite enumerandae fuerunt praetermitteremus ecclesias.

Indices.

I.

Index graecus.

Panegyria in cap. XX enumerata non retulimus in indicem, quod l. l. res ordine literarum disposuimus ut caput XX ipsum sibi pro indice sit.

II.
Index latinus.

*) Pittaces narrat aetate media, κατὰ τὸν μεcαιῶνα, episcopi domum circa n. 110 fuisse. Fac fuisse ibi: iam haerebis et mirabere, cur

---

unquam animum induxerint eam domum relinquere atque considere sub Areopago. Episcopi, ut ego existimo, aut a primis inde temporibus sub Areopago habitarunt, donec terrae motu expulsi sunt, aut, si Turcis invadentibus pristinam sedem reliquerunt, primum domicilium quum in Erechtheo constituissent, arce a barbaris occupata demigrarunt in aedem Areopago subiectam.

Index III,

quo Additamenti nomina explicantur.

Primo statueramus unam Tabulam edere, sed mutavimus sententiam subiicimusque Additamentum in quo urbem quae nunc est descriptam vides. Adhibuimus autem ad eam chartam quum Strackii tum imprimis Calergis tabulam, non quo Athenas a Calerge descriptas omnino probaremus aliisve tabulis praeponeremus sed quia nihil suppetebat quod melius esset. — Quoniam vero in Additamento aliquot nominum compendia fecimus nec res omnes quas nominavimus in libro commemorantur, nostrum esse credimus, quaecunque in Additamento perscripta aut compendiis notata sunt, enumerare ordine literarum et ubi res poscit breviter explicare aut libri paginam indicare.

Errata.

Pag. 40 lin. extr. lege 94 pro 251.
„ 91 „ 10 lege 108 pro 109.
„ 127 „ 10 lege τοῦ Λέκα pro Photiadu.

Pag. 85 „N. 100. Τεκές.“ Post verba „Musei et Poeciles“ adde haec: 60 Τσιάμι Lithogr. Monacensis. Debuit scribere Τσιαμί. — 83 Lithogr. Atheniensis. — G. Kohlmannus Tekes vocat.